INSTITUTIONUM

RHETORICARUM

COMPENDIUM

MAGNA EX PARTE

EX

CICERONE ET QUINTILIANO

EXCERPTUM

CUM

APPENDICE

DE

QUATUOR LATINAE LINGUAE AETATUM

SCRIPTORIBUS.

Auct. Ph. Antico

VIENNAE, 1839.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

PROOEMIUM.

Instituentibus nobis Oratorem illum, quem civilis ac litteraria Respublica auctorem publici consilii, regendae civitatis ducem, et sententiae, ac eloquentiae principem in senatu, in foro, in populo, in publicis privatisque causis esse postulat, visum est inscribere in fronte hujusce nostrae exercitationis illam M. Catonis sententiam: *Orator esse debet vir bonus, dicendi peritus.* Quod si vis illa dicendi, cui nos animum intendimus, malitiam instruxerit, nihil est perniciosius eloquentia, nosque ipsi, qui pro virili parte conferre aliquid conamur ad facultatem dicendi, pessime meremur de rebus humanis, si latroni comparemus haec arma, non militi. Quid de nobis loquor? Rerum ipsa natura in eo, quo praecipue indulsisse homini videtur, nosque a caeteris animantibus separasse, non parens, sed noverca fuerit, si facultatem dicendi scelerum sociam, et veritatis hostem invenit. Mutos enim nasci, et egere omni ratione satius fuisset, quam providentiae munera in mutuam perniciem convertere. Nec solum dico eum, qui sit Orator, virum bonum esse oportere, sed

ne futurum quidem Oratorem, nisi virum bonum contendo. Cui enim pulcherrimi operis studio vacare mens potest, nisi omnibus vitiis libera sit? Profecto nihil est tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam variis affectibus concisum atque laceratum, quam mala mens. Nam et cum insidiatur spe, curis, labore distringitur: cum sceleris compos fuerit, sollicitudine, poenitentia, poenarum omnium expectatione torquetur. Porro si nimia agrorum cura, aut rei familiaris diligentia, aut venandi voluptas, vel dati spectaculis dies multum studiis auferre solent, quid non cupiditates, quarum impotentissimae cogitationes somnos etiam ipsos perturbant? Quis inter haec litteris, aut ulli bonae arti cultus? Non hercle magis, quam frugibus in terra sentibus, ac rubis occupata. Adde, quod praecipue acuit ad cupiditatem litterarum amor laudis. Num igitur malis esse laudem curae putamus? Nullum est in eodem pectore honestorum, turpiumque consortium: et cogitare optima simul, et deterrima non magis est unius animi, quam ejusdem hominis bonum esse, ac malum. Quapropter totis mentibus huc tendamus, in hoc elaboremus, ut viri boni simul, et dicendi periti habeamur.

PARS PRIMA.

Caput I.

De Rhetoricae origine, et Oratoris officiis.

Sermonem ab ipsa rerum natura geniti protinus homines acceperunt: huic studium et incrementum dedit utilitas: summam ratio, et exercitatio. Initium ergo dicendi dedit utilitas: initium artis observatio. Homines enim sicut in medicina cum viderent alia salubria esse, alia insalubria, ex observatione eorum artem effecerunt; ita quum in dicendo alia utilia, alia inutilia deprehenderent, quaedam minus grata, quaedam auditu suaviora notarunt ea ad imitandum, vitandumque: haec confirmata sunt usu; et hinc initium duxit Rhetorica, quae est *Ars bene dicendi.*

Vis autem Oratoris (inquit Tullius) *professioque ipsa bene dicendi hoc suscipere, ac polliceri videtur, ut omni de re, quaecumque proposita sit, ornate ab eo copioseque dicatur.* Si quis igitur universam, et propriam Oratoris vim definire et complecti vult, *is Orator erit* (ejusdem Tullii sententia) *qui quaecumque res inciderit, quae sit dictione explicanda, prudenter, et composite, et ornate, et memoriter dicat cum quadam etiam actionis dignitate; ita ut doceat, moveat, delectet.*

Docemus vero argumentis et argumentatione; flectimus amplificatione et affectibus; delectamus ornato, illustri, et apto dicendi genere. Docere necessitatis est; delectare suavitatis; movere vero seu flectere victoriae; atque hic demum est verissimus eloquentiae triumphus. Quapropter cum jam ea, quae ad *elocutionem* pertinent, quaeque in delectatione posita sunt, in prima Humanitatis Classe tractata fuerint, restat ut de *docendi* ac *movendi* officiis disseramus. Verum non tam refert argumenta reperire ad faciendam fidem, sed eadem ita distribuere oportet ac proponere, ut evincere possint; ordo igitur postulat, ut I. De *Inventione*, scilicet de fontibus argumentorum dicamus. II. De eorumdem *Dispositione*, ac *variis argumentandi formis*. III. De *Affectibus*.

Caput II.

De Inventione.

Inventio est illa Oratoris virtus, qua ea omnia argumenta, quae sibi opportuna esse possunt, sive vera sint, seu verisimilia, undique colligit, ut suo consulat fini. Fontes vero, ex quibus argumenta erui possunt alii *interni* sunt, seu *artificiales*, alii *externi*, seu *inartificiales*. Primi generis decem sunt, nempe: 1. Definitio. 2. Etymologia. 3. Partium enumeratio. 4. Genus et Species. 5. Antecedentia et Consequentia. 6. Ad-

juncta. 7. Causae et effectus. 8. Similitudo et Dissimilitudo. 9. Contraria et Repugnantia. 10. Comparatio.—Alterius generis duo sunt, scilicet 1. Testimonium divinum. 2. Testimonium humanum.

Nunc videndum est, quo modo ex hisce locis seu fontibus sagax et prudens Orator argumenta possit eruere ad cujusvis causae praesidium.

§. 1.

De Definitione.

Omnis quae suscipitur de aliqua re disputatio debet a definitione proficisci, dummodo tamen ejusmodi non sit, ut definiri non egeat. *Definitio* autem est brevis, perspicua, et propria vocabuli alicujus, aut rei explanatio.

Cum vero dicimus *brevem* non aridam intelligimus, sed ne plus dicatur quam necesse est. Cum dicimus *perspicuam* volumus, ut definitio claram in lucem rem definitam constituat, ne obscurior re definita ipsa definitio reperiatur. Cum denique *propriam* dicimus, intelligimus definitionem ita rei definitae convenire debere, ut nulli alteri adplicari queat. Definierat aliquando Plato hominem: *Animal bipes et implume.* Brevis quidem et perspicua non propria definitio. Hinc Diogenes Cinicus homo dicax et Academicorum irrisor, gallum implumem ac nudum in mediam Platonis scholam projiciens: *En,* inquit, *hominem Platonis.*

Contra recte definitur homo, *animal rationale.* Sed diximus, brevem non aridam esse oportere definitionem. Quapropter Tullius de leg. c. 7. definiens hominem, scribit: *Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem, praeclara quadam conditione generatum est a summo Deo. Solum est enim ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis et cogitationis, cum caetera sint omnia expertia.*

A definitione itaque argumentum deducitur ad aliquid probandum, cum, posita rei de qua agimus definitione, ex ipsis essentialibus illius proprietatibus nostrae sententiae veritatem demonstramus. Audite Salvinium: *La pietà verso Dio altro non è, che un diritto e una giustizia che dall' uomo suo servo si rende all' unico e vero signore; e allora i Principi alla greggia de' loro vassalli perfettamente e felicemente comandano, quando al comun principe Iddio con umile e devoto cuore si sottopongono.*

§. 2.

De Etymologia.

Etymologia est illa, quae vocum radices et originem perquirit, nobisque demonstrat. Haec habet aliquando usum necessarium, quoties interpretatione res, de qua quaeritur, eget: ideoque in definitionibus assignatur etymologiae locus.

Argumentum igitur ex etymologiae fonte depromere possumus, cum ipsa vocabuli natura illud ad rem probandam suppeditet. Ita Tullius quaest. tusc. 2. *Appellata est ... a viro virtus: viri autem propria est fortitudo, cujus munera duo maxima sunt, mortis dolorisque contemptio.* Non invenustos etiam lepores aliquando ex eodem fonte eruere juvat quoties opportune, parce, ac salse ipsis utamur. Idem Tullius ita in Verrem ludit: *quid mirum si omnia rapit et verrit, cum Verres appelletur?*

§. 3.

De partium enumeratione.

Ab *enumeratione* argumenta eruuntur, cum aliquid in varias partes vel ratione materiae, vel temporis, vel loci distribuimus, et singulis hisce partibus affirmatis aut negatis, nostrae sententiae veritatem inferimus. Quod tribus modis fieri potest. 1. Singulis partibus enumeratis et affirmatis; ut inde totius rei veritatem demonstremus. Priori modo Tullius in orat. pro leg. Man. ita probat Pompejum esse summum imperatorem. *Ego enim existimo in summo imperatore quatuor has res inesse oportere: scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem.* Ostendit has eminere in Pompejo; ergo etc. 2. Omnes et singulas partes negando, ut totum falsum esse dignoscatur. Tullius ita Philippica IV. probat Antonium nonnisi a

latronibus consulem haberi posse. *Negat hoc D. Brutus imperator, negat Gallia, negat cuncta Italia, negat senatus, negatis vos. Qui igitur illum consulem, nisi latrones, putant?* 3. Partes aliquas refellendo, ut caeterae necessario affirmentur. Ita Martialis vetulam quamdam probat esse edentulam:

Si memini, fuerunt tibi quattuor, Aelia, dentes;
Expuit una duos tussis, et una duos.
Jam secura potes totis tussire diebus:
Nil istic quod agat, tertia tussis habet.

Cavendum in hoc argumenti genere, ne ulla pars omittatur, secus probatio corruet.

§. 4.

De Genere et Specie.

Genus est quod partes aliquas complectitur, ut *cupiditas*; pars seu species, quae subest generi, ut *avaritia.* Ex genere et specie argumentum elicimus, cum loquimur prius generatim de eo, quod plura in se complectitur, et deinde ad speciem descendimus, atque demonstramus, de hac esse necessario concedendum, quod de re generatim concessum fuit. Ut si diceres: *virtutes omnes amore dignae sunt, ergo et temperantia.* Interdum autem a specie ad genus argumentum conficitur, cum rebus peculiaribus demonstratis generalis confirmatur sententia. Ut: *ebrietas est vitium; sed vitia omnia hoc habent etc...* Si de

genere loquamur, brevitati studendum, ne auditores defatigentur, antequam ad propositam speciem deveniamus. Hoc loco solent intemperantius abuti Tyrones, dum thesim longius trahunt, quod nempe res sit communior, faciliorque, et multorum trita vestigiis. Tu igitur, si sapis, hoc vulgare vitium fugies, memor illius Horatii praecepti in arte Poet.

Nec circa vilem, patulumque moraberis orbem.

§. 5.

De Antecedentibus et Consequentibus.

Antecedentia ea sunt, quibus positis, necesse est, ut aliquid sequatur: hoc autem, quod consequitur, *consequens* appellatur. Ex antecedentibus validissima eruuntur argumenta; quoties enim indubia statuta sint principia, consectaria impugnari non possunt. Ut si dicas: ortus est sol, ergo dies est. Tullius ex antecedentibus probat Tuberonem contra Caesarem arma sumpsisse. *Quid enim, Tubero, tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? Cujus latus mucro ille petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quae tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* Aliquando etiam ex consequentibus antecedentia deducuntur. Ex. gr. *Cicatricem geris; ergo plagam accepisti.* Tullius ita probat quemdam esse reum homicidii: *Si et ferro interfectus ille, et tu inimicus ejus cum gladio*

cruento comprehensus es in illo ipso loco, et nemo praeter te ibi visus est, et causa nemini, et tu semper audax; quid est quod de facinore dubitare possimus?

§. 6.

De Adjunctis.

Adjuncta vocantur ea, quae non necessario, sed plerumque aliquid comitantur, vel in una re considerari possunt. Adjuncta vero omnia hoc carmine recensentur:

Quis, quid, ubi, per quos, quoties, cur, quomodo, quando.

Quis personae indicat qualitatem, in qua consideranda patria, aetas, sexus, educatio, vitae ratio, vires, divitiae, et ipse corporis habitus. *Quid* factum, de quo agitur. *Ubi* locum. *Per quos* socios. *Quoties* indicat, num alias factum sit. *Cur* rei gestae causam. *Quomodo* modum, quo res gesta fuit. *Quando* tempus, quo res ipsa confecta est. Fons iste uberior est omnibus, atque ad conjecturae argumenta investiganda quamplurimum confert: et nulla fortasse oratio est, cui aliquod argumentum non suppeditet.

Cicero ex adjunctis in Narratione Miloniana probat Clodium Miloni insidias fecisse. 1. Quis? Clodius *homo ad omne facinus paratissimus.* 2. Quid minitatus est? Biduo Milonem, *ad summum quatriduo periturum?* 3. Ubi insidias struxit? *Ante suum fundum*, ex quo *complures cum telis*

in Milonem fecerunt *de loco superiore impetum.* 4. Per quos? Per *servos agrestes et barbaros..* *qui eductis gladiis partim recurrere ad rhedam* etc. 5. Quoties minitatus est? *Palam dictitabat consulatum Miloni eripi non posse, vitam posse. Significavit hoc saepe in senatu, dixit in concione; quin etiam* etc. 6. Cur? Quia intellexit Milonem *fortissimum virum, inimicissimum suum certissimum consulem* futurum..et ipse *ad dilacerandam Remp.* praeturam quaerebat. 7. Quomodo? *Clodius expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Graecis comitibus, ut solebat, sine uxore quod nunquam fere: fit obviam* Miloni, *qui cum uxore vehebatur in rheda, penulatus, magno et impedito, ac muliebri et delicato ancillarum puerorumque comitatu.* 8. Quando? *Hora fere undecima... Videte illum primum egredientem e villa, subito cur? vesperi, quid necesse est? tarde, qui convenit id praesertim temporis?* (hyemalis.)

§. 7.

De Causis et Effectibus.

Causa dicitur ea, ex qua, tamquam ex origine, aliquid promanat; id autem, quod inde profluit, *effectus* appellatur. Etiam ex hoc loco multa eruere possumus argumenta, nobisque viam aperire, qua eloquentia triumphet.

182

Causa potest esse efficiens, materialis, formalis, et finalis. *Efficiens* ea est, ex qua proprie aliquid manat, vel ordine naturae, vel hominis voluntate; atque hinc argumentum deducimus, quando ex originis praestantia, vel turpitudine rei alicujus, ipsam vel plurimi vel nihili facimus. Ita Ovidius probat desidiam esse vitandam:

Quaeritur, Aegisthus quare sit factus *iniquus*?
In promptu causa est: desidiosus erat.

Materialis ea est, ex qua res constat, vel circa quam ipsa versatur. Ex hac probatio desumitur, quum ex nobilitate, vel humilitate materiae, ex qua res aliqua conflatur, aut excellentia, aut vilitas ostenditur. Jo. Casa ex hoc loco Venetiarum urbem commendat. *Per la qual cosa voi soli tra tutte le città che sono o furono o saranno giammai, larghe e spaziose porte avendo, e quelle il giorno e la notte aperte, e senza alcuna custodia lasciando, sicuri e senza alcun sospetto vivete, perciocchè non uomini od armi, ma uno degli elementi alla vostra custodia vigila ed attende... E chi può a buona equità dunque negare che coloro a cui il mare è tranquillità, e l' arena fondamento, e la tempesta schermo, ed il paludoso aere salubrità, e le sterili valli dovizia non debbano ciò riconoscere, non per accidente di fortuna, nè per provvidenza di consiglio, ma per divino miracolo, e per ispecial privilegio?*

Formalis ea est, per quam res tali constat forma, ut a caeteris distinguatur: atque ideo ex

hac causa argumenta eruimus, quum ex alicujus rei forma ipsius perfectionem, vel imperfectionem ostendimus. Tullius ita lib. 2. de nat. Deorum ex mira mundi structura probat existere mentem supremam, a qua omnia regantur: *Quid potest esse tam apertum, tamque perspicuum cum caelum suspeximus caelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec regantur?... Quis enim hunc hominem dixerit, qui cum tam certos caeli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque inter se omnia connexa et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat, quae quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possimus?*

Causa *finalis* denique illa est, cujus gratia aliquid fit: et ex hoc argumentum eruitur, quando ex fine, quo quis agit, laude vel vituperatione dignum factum ipsius demonstratur. Cicero ex hac causa probat insidias Miloni struxisse Clodium, quod nempe multas ex illius interitu sibi polliceretur utilitates. *Quonam igitur pacto probari potest, insidias Miloni fecisse Clodium? Satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse. Itaque illud Cassianum,* Cui bono fuerit, *in his personis valeat. Etsi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi saepe parvo; atqui, Milone interfecto, Clodius hoc assequebatur, non modo ut praetor esset, non eo consule, quo scele-*

ris nihil facere posset; sed etiam ut his consulibus praetor esset, quibus si non adjuvantibus at conniventibus certe, sperasset, se posse rempublicam eludere in illis suis cogitatis furoribus etc.

Non solum e causis, verum etiam saepissime ab *effectibus* argumenta desumuntur, cum ex bonis vel malis rei alicujus consequentibus, ipsam vel amplectendam, vel fugiendam esse contendimus. Ita Boccacius ostendit profanos amores esse fugiendos: *Vedere adunque dovevi, amore essere una passione accecatrice dell' animo, disviatrice dello ingegno, ingrossatrice anzi privatrice della memoria, dissipatrice delle terrene facoltà, guastatrice delle forze del corpo, nemica della giovinezza, e della vecchiezza morte; genitrice de' vizii, e abitatrice de' vacui petti; cosa senza ragione e senz' ordine, e senza stabilità alcuna; vizio delle menti non sane, e sommergitrice dell' umana libertà.* Laber. num. 109.

§. 8.

De Similitudine et Dissimilitudine.

Cum duae res aliqua ex parte inter se conveniunt, *similitudo* nascitur: Quemadmodum ex eorundem inter se discrimine exurgit *dissimilitudo.* Ab hisce igitur locis argumenta deducimus, quibus non modo causam nostram illustramus, sed per exempla quoque sive ab historiis, sive a fabulis desumpta (quae similia vel dissimilia

sint) sententiam nostram fulcimus. Ex similitudine ita Tullius probat non unum Catilinam, sed conflatam ab illo improborum manum esse pellendam, in prima Catilin. *Ut saepe homines aegri morbo gravi, quum aestu febrique jactantur, si aquam gelidam biberint, primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque afflictantur; sic hic morbus, qui est in repub. relevatus istius paena, vehementius viris reliquis ingravescet.* A dissimilitudine vero idem Tullius pro Archia ita humaniora studia commendat. *Nam caeterae artes neque temporum sunt, neque aetatum omnium, neque locorum. Haec studia literarum adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium et solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.*

Notandum hic discrimen *Similitudinem* inter et *Comparationem.* Illa proprie pertinet ad id, quod *qualitatem* vocant, altera respicit *quantitatem.* Fit enim Comparatio, ut mox dicetur, vel a pari, vel a majori ad minus, vel a minori ad majus; in Similitudine vero nulla fit mentio neque paris, neque majoris, neque minoris.

§. 9.

De Contrariis et Repugnantibus.

Quae in eodem subjecto esse non possunt, *contraria* dicuntur; ut *virtus* et *vitium; bellum* et

pax; sapientia et *stultitia*. Quae se mutuo excludunt, *Repugnantia* appellantur: ut *vita* et *mors; lux* et *tenebrae*, et simil. Etiam hujus fontis argumenta efficacissima sunt: si enim quidpiam verum esse demonstretur, contrarium necesse est ut falsitatis arguatur. Tullius ita in Orat. pro Milone demonstrat ex Contrariis Milonem Clodio mortem non intentasse: *quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? quem jure, quem loco, quem tempore, quem impune non est ausus, hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitavit occidere?* Et Joan. Casa ostendit Caroli V. magnanimitati repugnare, eum non esse Placentiam restituturum. *Ella potendo agevolmente spogliar molti stati della loro libertà, anzi avendola in sua forza, l'ha loro venduta, ed hanneli rivestiti; ed ha voluto piuttosto usando magnanimità provar la fede altrui con pericolo, che operando iniquità, macchiar la sua con guadagno. Avete dunque lasciato i Genovesi ed i Lucchesi, e molte altre città nella loro franchezza... Non foste voi lungo tempo depositario di Modana e di Reggio? ... Rendè eziandio V. M. Tunisi a quel Re Moro e barbaro. Io lascio stare e Bologna e Firenze e Roma e molti altri stati, dei quali voi per avventura avreste potuto agevolmente in diversi tempi farvi signore, ma non parendovi di far bene e giustamente, ve ne siete astenuto. Perchè se l' utile vi consiglia a ritener Piacenza, l' onore e la giu-*

stizia troppo migliori consiglieri e di troppo maggior fede degni dall' altro lato ve ne sconsigliano essi e non consentono che etc. etc.

§. 10.

De Comparatione.

Comparatio fit, cum duo vel plura in tertio aliquo conferimus. Triplici modo hujusmodi argumenta efficiuntur: 1. A *majori* ad *minus*, cum id quod de re majori admittitur, de minori etiam concedendum esse contendimus. 2. A *minori* ad *majus*, cum contra, quod de minori asserimus, ad majus quoque pertinere dicimus. 3. A *pari*, quoties res comparatas prorsus aequales demonstramus; ideoque quod uni conceditur etiam alteri tribuendum esse defendimus. — Ita Tullius a *majori* ad *minus* in Antonium invehit. *Quid faceres domi tuae, cum alienae tam sis insolens?* Sic etiam Terentius: *Quem feret, si parentem non fert suum?* — A *minori* ad *majus*. Al. Lollius probat immortalem sibi famam Paulum III. consecuturum, si pacem comparaverit. *Certamente, B. P., se per edificare una città si merita tanto onore; di qual sarà degno colui che avrà provveduto, che tante già edificate non cadano a terra? se per difendere un popolo solo in tanta gloria si sale; in quale salirà colui che ne avrà molti insieme conservati? se per mostrare il bel vivere agli uomini cotanto pregio s' acquista; di quanto*

si converrà ornar colui, che non pur mostrato, ma con tranquillissima sicurtà l' avrà loro renduto? Huc pertinet etiam Horatianum illud ep. 2.

Ut jugulent homines surgunt de nocte latrones;
Ut te ipsum serves non expergisceris? . . . . .

A pari denique Tullius probat, Catilinam Roma proficisci debere: *Si te parentes timerent, atque odissent tui, neque eos ulla ratione placare posses, ut opinor, ab eorum oculis aliquo conceaderes. Nunc te patria, quae communis est omnium nostrum parens, odit ac metuit, et jamdiu te nihil judicat nisi de parricidio suo cogitare: hujus tu neque auctoritatem verebere, neque judicium sequere, neque vim pertimesces?*

Caput III.

De Locis externis.

Praeter illos, quos hactenus recensuimus argumentorum fontes, quique *interni* nuncupantur, quatenus per se argumenta non suppeditant, sed tantum viam ostendunt, per quam e causae visceribus sedula meditationis ope ea possimus eruere: sunt etiam alii, qui *externi* appellari solent, quia per se offerunt argumenta ab externis rebus desumpta. Hi autem loci duo testimonii genera complectuntur, *divinum* nempe, et *humanum*. — *Quidquid enim*, ait Tullius, *ab aliqua re externa desumitur ad faciendam fidem, e testimonii fonte deducitur.*

Ad testimonium *divinum* olim referebantur oracula, responsa vatum, auspicia, auguria et similia. Apud nos verbum Dei scriptum, vel traditum, auctoritates Conciliorum, Patrum, decreta Pontificum, et Theologorum sententiae. Argumenta, quae ex testimonio divino ducuntur, tantae sunt auctoritatis, ut si aliter interpretari nequeant, dirimant causam. Deus enim nec falli, nec fallere potest. Monendum in Sacrarum Scripturarum usu:

1. Earum majestatem, dignitatemque esse servandam. 2. Puritatem, atque simplicitatem Scripturae exquisitis verbis haud esse invertendam. 3. Non immiscenda profanis testimonia Divina. 4. Cavendum, ne in alios sensus torqueantur, ac Ecclesia semper accepit. 5. Integra, et non mutila, neque arbitrio nostro concinnata esse afferenda.

Ad testimonium *humanum* referri solent documenta auctoritatis, voluntatis, atque hominum sermonis. *Auctoritatem* constituunt viri Religione, fide, ac scientia praestantes, receptae opiniones, communia effata, et illustrium virorum sententiae. Ad *voluntatem* pertinent leges, statuta civitatum, testamenta et scripta, quae mentis nostrae continent declarationem. Ad *sermonem* demum rediguntur tam liberae, quam extortae testium depositiones; *liberae*, veluti publicae sponsiones; *extortae*, ut confessiones reorum, tormenta et similia.

Observatio.

Quid sentiendum de his argumentorum locis, et quomodo eis utendum.

Has fere sedes accepimus probationum in universum, quas nec generatim tradere sat est, cum ex qualibet earum innumerabilis argumentorum copia oriatur; neque per singulas species exequi patitur natura rerum. Plurimum curae adhiberi debet, ut, repertis argumentis, iisdem opportune utamur. Hic omnino vis inventionis, si non major, certe prior. Nam ut tela supervacua sunt nescienti quid petat, sic argumenta nisi praevideatur, cui rei adhibenda sunt. Neque vero qui cognoverint ista, si caetera negligant, perfectos se protinus, atque consummatos Oratores putent; immo nisi in caeteris, quae mox praecipienda sunt, elaboraverint, mutam quandam scientiam se consecutos intelligant. Illud etiam monendum esse duco, neque omnibus in causis ea, quae exposuimus cuncta posse reperiri; neque cum proposita fuerit materia dicendi, scrutanda singula et velut ostiatim pulsanda, ut sciamus, utrum ad probandum id, quod intendimus, forte respondeant. Judicio itaque opus est ut, repertis argumentis, quae levia sunt, communia, vel non necessaria praetermittantur: atque ex his, quidquid aptum est, et conveniens eligatur.

Caput IV.

De Dispositionis necessitate.

De Inventione, ut arbitror, satis dictum est. Sed ut opera extruentibus non est satis saxa, atque materiam, caeteraque aedificanti utilia congerere, nisi disponendis iis, collocandisque artificum manus adhibeantur: sic in dicendo quaelibet abundans rerum copia cumulus tantum, atque congestus habendus, nisi illas easdem *dispositio* in ordinem digestas, atque inter se commissas devinxerit. Nec immerito secunda quinque partium posita est; cum sine ea prior nihil valet. Oratio enim hac virtute carens tumultuetur necesse est, ac sine Rectore fluitet, multa repetat, multa transeat, velut noctu in ignotis locis obambulans et errans, nec initio, nec fine proposito casum potius, quam consilium sequatur. Quantum igitur necessaria sit dispositio nemo est, qui non videat.

§. unicus.

In quo sita est Dispositionis virtus.

In eo sita est *dispositionis vis*, ut videamus, ubi assumendum prooemium, ubi omittendum; ubi utendum expositione continua, ubi partita; ubi ab initiis incipiendum, ubi a mediis, vel ultimis; ubi omnino non exponendum; quando a

nostris, quando ab adversariorum propositionibus incipiamus; quando a firmissimis, quando a levioribus argumentis; utrum reservandi Perorationi, an per totam Orationem diffundendi affectus; quae testimonia, tabulaeve, cujusque generis in actione recitandae, quae reservandae. Dispositio est velut imperatoria virtus copias suas partientis ad casus praeliorum, retinentis partes propter castella tuenda, custodiendasve urbes, petendos commeatus, obsidenda itinera, mari denique ac terra dividentis. De dispositionis virtute docet nos etiam Horatius Flaccus in sua arte Poetica, ubi scripsit:

Ordinis haec virtus erit, et Venus, hand ego fallor,
Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici,
Pleraque differat, et praesens in tempus omittat,
Hoc amet hoc spernat promissi carminis auctor.

Verum cum omnis quaestio et argumentum quodcumque, suam habeat dispositionem, nisi ea, de qua dicendum est, proposita sit materia, quid unicuique causae conveniat, definiri non potest. Quaedam enim non docentium sunt, sed discentium. Nam et medicus, quid in quoque valetudinis genere faciendum sit, quid, quibusque signis providendum docebit: sed vim sentiendi pulsus venarum, caloris, motus ac similia, quae uniuscujusque aegroti propria sunt, ingenium dabit. Quare plurima petamus a nobis, cogitemusque homines ante invenisse artes, quam docuisse. Haec satis erunt cui affuerint natura, do-

ctrina, studium. Nemo expectet, ut alieno tantum labore sit disertus. Vigilandum ducat, iterum enitendum, pallendum. Est facienda sua cuique vis, sua ratio. Nam viam demonstrare velociter ars potest, si qua est; verum ars satis praestat, si copias eloquentiae ponit in medio; nostrum est uti eis scire.

Caput V.

De Variis argumentandi formis.

Postquam Orator ex fontibus jam recensitis argumenta, quae sibi opportuna esse possunt, deprompserit, eaque apte disponendi rationem viderit, eadem ita proponere debet, ut intelligi, et evincere possint. Modo enim laetus, modo pressus; nunc jucundus, nunc gravis; tum copia debet, tum brevitate praestare. Hic latius pugnandum, hic concludendum astrictius; hic acumine, hic frequenter et pondere auditores urgendi et judices, et in nostram ferendi sententiam sunt, ita tamen, ut illi non rapi videantur sed sequi. Hoc vero consequimur per varias argumentandi formas, quarum praecipuae sunt: ***Syllogismus***, ***Enthymema***, ***Inductio***, ***Exemplum***, ***Sorites***, et ***Dilemma***.

§. 1.

De Syllogismo.

Syllogismus est ea argumentandi forma, per quam duabus positis propositionibus, quarum una ab alia descendit, necessario deducitur consequens. Prima propositio dicitur *major*, quia generalis est: altera *minor*, quia peculiaris: *consequentia* vero debet ex hisce sponte fluere. Ex. gr. *Quicumque nascitur, moritur; natus sum, ergo moriar.* Hoc modo proprie syllogismum conficit philosophus: sed Oratoris industria in eo posita est, ut propositiones invertat, amplificet, verbis ornet, figuris illuminet, artem denique totam diligenter tegat. Hinc acute ajebat Zeno philosophus, *Logicam seu dialecticam similem esse pugno, seu manui complicatae. Rhetoricam vero palmae seu manui explicatae. atque exporrectae similem esse.* In Orat. pro Mil. Tullius philosophice dixisset: ille insidiator est judicandus, juxta Cassianam sententiam, cui bono crimen redundat; Clodius maximas utilitates a Milonis morte consequebatur; ergo Clodius Miloni struxit insidias. Oratorio autem more dixit ut in exemplo jam allato in §. 7. *De Causis et Effectibus*, pag 15, prope finem. — Juvat hic simul conferre varios argumentandi modos.

§. 2.

De Enthymemate.

Enthimema dicitur argumentatio, per quam una tantum praemissa propositione consequens infertur. Non differt itaque a syllogismo, nisi quod illa siletur propositio, quae intelligi manifeste debet. Orator etiam in Enthymemate propositionem amplificat, eique suam addit probationem. Ex. gr. *Ortus est Sol; ergo est dies;* nempe intelligitur, orto sole diem esse. Vide quomodo Tullius enthymemate feriat Antonium. ***Pacem vult Antonius? Arma ponat:*** quasi diceret; ***non arma ponit Antonius; ergo non vult pacem.***

§. 3.

De Inductione.

Argumentatio per ***inductionem*** fit, quoties multis rebus certis, quarum una ab alia derivatur, enumeratis, ex his consequentiam elicimus, quae nostram confirmet assertionem. Oportet autem 1. ut quas enumerantur, impugnari nequeant; 2. ut inductio seu consequentia aperte praecedentibus colligata descendat; 3. ut probationibus fulciatur, si qua ex praemissis in dubium revocari possit. Tullius ita probat, Romanos ipsos improbis civibus obsecundando rempublicam perdere: ***Quae reliqua spes manet libertatis, si***

illi (conjurati) *et quod volunt, possunt; et quod possunt, audent; et quod audent, faciunt; et quod faciunt vobis molestum non est?* Hoc modo Themistocles per jocum demonstrabat, teste Plutarcho, filium suum universae Graeciae imperare: *Mio figlio comanda a sua madre: ella comanda a me: io comando agli Ateniesi: gli Ateniesi a tutta la Grecia: dunque mio figlio comanda a tutta la Grecia.* Inductio non solum Oratoribus perfamiliaris est, sed etiam Poetis. Apud Virgilium Aeneas probat per inductionem viventi sibi iter ad inferos nequaquam interclusum esse debere.

Si potuit manes arcessere conjugis Orpheus
Threicia fretus cythara, fidibusque canoris;
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque, reditque viam toties, quid Thesea, magnum
Quid memorem Alcidem? et mi genus ab Jove summo; etc.

§. 4.

De Exemplo.

Exemplum est species inductionis, qua ab uno simili argumentamur ad aliud. Cujusmodi exemplum habemus et in I. Catilinaria, ubi Tullius ostendit licere sibi Catilinam capite damnare ab exemplis: et in Miloniana, non esse damnandum Milonem, quod Clodium occiderit, cum nec Horatius ob sororem necatam fuerit condemnatus.

Negant intueri lucem fas esse ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea, quae primum judicium de capite vidit M. Horatii fortissimi viri, qui nondum libera civitate, tamen populi Romani comitiis liberatus est, quum sua manu sororem interfectam esse, fateretur. Et Lollius in Orat. ad Paulum III. ita probat: *Che non nella frotta di molti, ma nel cuore e nella fortezza di pochi la vittoria consiste. Sostenne Agesilao con pochi compagni l' impetuoso assalto di più di settanta mila persone guidate da quel tanto terribil fulmine di guerra Epaminonda. Ruppe e fracassò Milziade ne' campi Maratonii con diecimila soldati centomila Persi. Fu con pochissime navi la grandissima e fortissima armata di Perse da Temistocle vinta. Quante volte superò Alessandro con piccole squadre i numerosi eserciti di Dario? Quante illustri vittorie acquistò Cesare con pochi contro molti? Quante Scipione? quante Annibale* etc.

§. 5.

De Sorite.

Sorites est argumentatio, qua ex multis propositionibus gradatim et velut acervatim congestis aliquid infertur: unde *syllogismus acervalis* vocatur a Tullio: qui vero admonet Soritem aptiorem esse philosopho quam oratori, cum quodvis dicendi or-

namentum excludat; licet in Epilogis utilitatem praestet, cum praedictorum argumentorum consequentias omnes uno sub aspectu constituimus. Tullius per soritem Tusculanarum quaest. V. concludit, bonum illud tantummodo esse, quod est honestum: *Quod bonum sit, id expetendum: quod expetendum, id certe approbandum: quod approbandum, id certe gratum acceptumque habendum: ergo etiam dignitas ei tribuenda: bonum igitur omne laudabile; ex quo efficitur, ut quod sit honestum, id sit solum bonum.*

§. 6.

De Dilemmate.

Dilemma tandem est argumentatio, qua adversarium perstringimus: positis enim duabus propositionibus inter se contrariis sive unam, sive alteram ille nobis concedat, semper adversus ipsum stat consequentia. Ita Cic. Philipp. 5. probat hoc dilemmate non esse mittendos legatos ad Antonium. *Legatos decernitis, si ut deprecentur, contemnet; si ut imperetis, non audiet.* Cavendum in hac argumentandi forma, ne tertia aliqua via supersit, qua adversarius perfugium inveniat; et ne pari ratione argumentum retorqueri possit. Celebre est illud quod narratur de Protagora, qui cum eloquentiam docuisset adolescentem ea lege ut sibi amplam mercedem persolveret, si primam

in judicio ille agens causam victor discessisset, secus nihil deberet; postquam eum instituit, Protagoras ipse discipulum statim in jus vocavit, ut sibi pactam mercedem solveret. Ita vero sophista argumentatur: *Quovis modo tu mihi satisfacies, sive pro te, sive pro me sententiam proferant judices: si pro te, quia tunc promissa debes ex conventione: si pro me, quia ipsorum decreto ad solvendum damnaberis.* Sed discipulus ita retorsit argumentum: *Mercedem tibi non persolvam, sive victus sive victor discedam: non si victus, cum ex pacto tum nihil tibi debeam: non si victor, quia tunc judicum sententia me absolvet.*

Observatio.

Quae hactenus tradita sunt de argumentorum fontibus, de dispositione, ac de variis argumentandi formis satis erunt Oratori, ut primo suo fungi possit officio quod est *docendi:* sed ejusdem munus est deinde ut auditores moveat, inflammet, ac flectat. Quod facile praestare poterit Orator per ea, quae mox de Affectibus praecipientur: quae pars quanti momenti facienda sit ex sequenti capite manifestum fiet.

Caput VI.

De Affectibus.

Cum duae summaeque sint in Oratore laudes, una subtiliter disputandi ad docendum de qua diximus ea afferentes quae ad inventionem, dispositionem, et varias argumentandi formas pertinent; altera graviter agendi ad animos audientium permovendos, ordo postulat, ut aliquid de affectibus dicamus. Multo plus proficit is, qui inflammat auditores, quam ille qui docet. Id unum ex omnibus ad obtinendas causas potest plurimum; in hoc una vis omnis oratoris est. Nam caetera forsitan tenuis quoque et angusta ingenii vena, si modo vel doctrina vel usu sit adjuta, generare atque ad frugem aliquam perducere queat. Qui vero auditorem rapere, et in quem vellet habitum animi posset perducere varius fuit. Atque hoc est quod dominatur in causis; haec eloquentiam regunt. Probationes enim efficiunt sane, ut causam nostram meliorem esse judices putent; affectus praestant, ut etiam velint. Sed id quia volunt, credunt quoque. Nam cum irasci, favere, odisse, misereri ceperint, agi jam rem suam existimant; et sicut amantes de forma judicare non possunt, quia sensum oculorum premit amor, ita omnem inquirendae veritatis rationem judex amittit occupatus affectibus; aestu fertur, et velut rapido flumini obsequitur. Nihil est in dicendo majus, ait

Tullius, quam ut faveat oratori is qui audiat, atque ipse sic moveatur, ut impetu quodam animi et perturbatione magis quam judicio aut consilio regatur. Hoc genus est, quo perturbantur animi et concitantur, in quo uno regnat oratio. Hoc vehemens, incensum, incitatum quo causae eripiuntur, quod cum rapide fertur sustineri nullo modo potest. Quo genere nos mediocres, aut multo etiam minus, sed magno semper usi sumus imperio, saepe adversarios de statu omni dejecimus.

Huc igitur incumbat Orator, hoc opus ejus est, hic labor est; sine quo caetera nuda, jejuna, infirma, ingrata sunt; adeo velut spiritus operis hujus, atque animus est in affectibus.

§. 1.

Quid sit affectus, et in quot species distribuatur.

Affectus est quidam animi impetus, quo impellimur vehementius ad aliquid vel appetendum, vel aversandum. Affectus vero alii sunt concitati alii mites atque compositi; quidam vehementer commoti imperant, quidam lenes persuadent; hi ad perturbationem, illi ad benevolentiam praevalent. Sunt qui cum Stoicis quatuor tantum statuunt affectus: duos circa bonum, nempe *spem* et *gaudium;* et duos circa malum, scilicet *tristitiam* et *metum.* Quatuor hosce motus eleganter expressit Virgilius, cum ait: *Hinc metuunt, cupiuntque*

dolent, gaudentque. (Aeneid. 6.) Nos vero Tullium sequimur, qui ait (l. 2. de orat. 57.) Haec fere maxime sunt in judicum animis, aut, quicumque illi erunt, apud quos agemus, oratione molienda (seu excitanda) *amor, odium, iracundia, invidia, misericordia, spes, laetitia, timor, molestia.*

§. 2.

De Amore.

Amor est juxta Aristotelem (Rhetor. l. 2. c. 4.) velle alicui bona evenire, non sua sed illius ipsius causa, quem diligit, et quantum in eo est efficere, ut illa eveniant. Amoris tres sunt causae: conjunctio, similitudo, et bonitas. Quapropter primo quidem amantur patria, parentes, liberi, consanguinei, affines, et foederati; deinde pares qui sunt ejusdem aetatis, indolis, et artis, nisi forte sibi incommodent, tum enim figulus figulo invidet; denique qui nos afficiunt beneficiis, et aliqua virtute excellunt. Sentimus autem amorem conciliari, si id, quod sit utile ipsis apud quos agas, defendas: si aut pro bonis viris, aut certe pro iis, qui illis bonis atque utiles sunt, labores. Plus vero proficimus, si proponitur spes utilitatis futurae, quam praeteriti beneficii commemoratio. Enitendum igitur est, ut ostendas, in ea re, quam defendis aut dignitatem inesse aut utilitatem; eumque cui concilies hunc amorem

significes nihil ad utililitatem suam retulisse, ac nihil omnino fecisse causa sua. Quod praestat Tullius Orat. pro Mil. *Me quidem, judices, exanimant et interimunt hae voces Milonis, quas audio assidue, et quibus intersum quotidie. Valeant, inquit, valeant cives mei; sint incolumes, sint florentes, sint beati; stet haec urbs praeclara mihique patria charissima quoquo modo merita de me erit: tranquilla Rep. cives mei (quoniam mihi cum illis non licet,) sine me ipsi, sed per me tamen perfruantur. Ego cedam, atque abibo.*

§. 3.

De Odio.

Odium est abalienatio quaedam animi, qua quis alterum perditum velit. Ex iis, quae de amore diximus, facile cuivis patebunt odii fontes, quod erit a contrariis capitibus excitandum, nimirum ab insignibus vitiis, ab improbitate superbiaque, ab allatis injuriis. Ita Cicero congestis et exaggeratis Clodii criminibus in eum movet odium in Miloniana. *Occidi, occidi non Sp. Melium.... non Tib. Gracchum.... sed etiam (auderet enim dicere, cum patriam periculo suo liberasset) cujus nefarium adulterium in pulvinaribus sanctissimis nobilissimae faeminae comprehenderunt; eum cujus supplicio senatus solemnes religiones expiandas saepe censuit; eum qui civem, quem senatus, quem populus, quem omnes gentes urbis ac vitae civium*

conservatorem judicabant servorum armis extermi-narit; eum qui regna dedit, ademit, orbem terrarum quibuscum voluit partitus est; eum qui etc.

§. 4.

De Iracundia.

Iracundia est sui, propter contemptum, ulciscendi cupiditas cum dolore conjuncta. Unde non maximopere differt ab odio, quod est *ira quaedam inveterata.* Accenditur autem commemoratione illatae injuriae, si praesertim injuria sit cum contemptu conjuncta. Hinc apud Virg. Juno ita effervescit ira:

manet alta mente repostum
Judicium Paridis, spretaeque injuria formae,
Et genus invisum, et rapti Ganimedis honores.

Et apud Sallustium ita Aderbales in Romano Senatu contra Jugurtham loquitur. *Jugurtha, homo omnium, quos terra sustinet, sceleratissimus contempto imperio vestro, Massinissae me nepotem utique a stirpe socium atque amicum P. R. regno fortunisque omnibus expulit.... Heu me miserum! Huccine, Micipsa pater, beneficia tua evasere, ut quem tu parem cum liberis tuis, regnique participem fecisti, is potissimum stirpis tuae extinctor sit? Nunquam ne ergo familia nostra quieta erit? semperne in sanguine, ferro, fuga versabimur? etc.*

§. 5.

De Invidia.

Invidentiam (ait Tullius IV. Tuscul.) *esse dicunt aegritudinem susceptam propter alterius res secundas, quae nihil noceant invidenti.* Invidiae causa princeps est cupiditas excellendi, qua quis tantum sibi detrahi putat, quantum alteri adjicitur. Acerrimus longe omnium est motus invidiae; nec minus virium opus est in ea comprimenda, quam in excitanda. Si inflammanda erit invidia maxime dicendum est, non esse adversarii bona virtute parta, immo etiam vitiis atque peccatis: tum si erunt honestiora atque graviora, tamen non esse tanti ulla merita, quanta illius insolentia, quantumque fastidium. Ita Cicero pro Rosc. Amer. Chrysogonum in invidiam vocat ob divitias male partas. *Rogat oratque te, Chrysogone, si nihil de patris fortunis amplissimis in suam rem convertit; si nulla in re te fraudavit; si tibi optima fide sua omnia concessit, adnumeravit, appendit; si vestitum, quo ipse tectus erat, annulumque de digito suum tibi tradidit; si ex omnibus rebus seipsum nudum, neque praeterea quidquam excepit; ut sibi per te liceat innocenti amicorum opibus vitam in egestate degere. Praedia mea tu possides, ego aliena misericordia vivo: concedo. Mea domus tibi patet, mihi clausa est: fero. Familia mea maxime uteris, ego servum habeo nullum; patior, et ferendum puto. Quid vis amplius?* Si vero se-

danda erit invidia, dicendum magno illa bona labore, magnis periculis esse parta, nec ad suum commodum, sed lectori, totamque abjicere, et deponere. (Lege Tullium Orat. pro Sylla n. 25. qui ex hoc capite motam in se invidiam comprimit.) Denique omnino perficiendum, quoniam plerique sunt invidi, maximeque est hoc commune vitium et pervagatum, ut illa excellens opinione fortuna cum laboribus, et miseriis permixta esse videatur. (Consule eundem Tullium ead. orat. pro Syl. paulo post num. 29.)

§. 6.

De Misericordia.

Misericordia est dolor animi, et aegritudo quaedam ex malo alterius, praesertim immerito laborantis. Movetur vero, si is, qui audit adduci potest, ut illa quae de altero deplorentur ad suas res revocet, quas aut tulerit acerbus, aut timeat; aut intuens alium, crebro ad seipsum revertatur. Ita cum singuli casus humanarum miseriarum graviter accipiuntur, si dicuntur dolenter, tum afflicta et prostrata virtus maxime luctuosa est. In hoc excitando commiserationis affectu triumphare solet magni oratoris industria. Siquidem ut vulgo dicitur: *lacrymae auditorum sunt laus oratoris vel maxima.* Exemplo sit apud Livium Oratio P. Horatii ad populum pro Filio, qui sororem interfecerat. *Hunccine, quem modo decoratum, ovantem-*

que victoria, incedentem vidistis, Quirites, eum sub furca vinctum, inter verbera et cruciatus videre potestis? Quod vix Albanorum oculi tam deforme spectaculum ferre possent. I, Lictor, colliga manus, quae paulo ante armatae imperium pop. Rom. pepererunt. I, caput obnube liberatoris hujus urbis: arbori infelici suspende: verbera vel intra pomoerium, modo inter illa pila, et spolia hostium: vel extra pomoerium, modo inter sepulcra Curiatiorum. Quo enim ducere hunc juvenem potestis, ubi non sua decora eum a tanta foeditate supplicii vindicent? Innumera etiam habes exempla apud Tullium, et ut de caeteris sileam, vide perorationem pro Milone. Lege etiam Jo. Casae perorationem in orat. ad Carolum V. pro restitutione Placentiae. Audi denique apud Virgilium, Didonem Aeneam obsecrantem ne abeat:

Mene fugis? per ego has lacrymas, dextramque tuam, te
(Quando aliud mihi jam miserae nihil ipsa reliqui)
Per connubia nostra, per incaeptos hymenaeos,
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum, miserere domus labentis, et istam
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.

§. 7.

De Spe.

Spes est gaudium ex opinione imminentis boni, quod vel conservare, vel afferre voluptatem possit. Spes excitatur proposita boni honestate, et magnitudine, facilibusque et paratis ad

illud assequendum praesidiis: frangitur autem rei difficultate, ac malorum imminentium imagine. Ita P. Scipio apud Livium milites excitat ad praeliandum contra Carthaginenses. *Erit in hoc certamine is vobis illisque animus qui victoribus et victis esse solet. Nec nunc illi quia audent, sed quia necesse est pugnaturi sunt... Effigies, imo umbrae hominum, fame, frigore, illuvie, squallore enecti, contusi ac debilitati inter saxa rupesque: ad haec perusti artus, nive rigentes nervi, membra torrida gelu, quassata confractaque arma, claudi ac debiles equi. Cum hoc equite, cum hoc pedite pugnaturi estis: reliquias extremas hostium, non hostes habebitis. Spes* aliquando arduis praecipue in rebus in audaciam transit: ut hoc est Turni apud Virgil.

In manibus Mars ipse, viri: nunc conjugis esto
Quisque suae, tectique memor: nunc magna referto
Facta patrum laudesque; ultro occurramus ad undam
Dum trepidi, egressisque labant vestigia prima.
Audentes fortuna juvat.

§. 8.

De Laetitia.

Laetitia a Cicerone definitur (IV. Tuscul. quaest.) opinio recens boni praesentis, in quo efferri rectum esse videatur. Commovetur vel insperato bono, vel laeta fortunae commutatione. Sic Tullius ipso Catilinariae secundae exordio triumphat gaudio. *Tandem aliquando, Quirites,*

L. Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriae nefarie molientem, vobis atque huic urbi ferrum flammamque minitantem ex urbe vel ejecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem verbis prosecuti sumus. Abiit, excessit, evasit, erupit. Nulla jam pernicies a monstro illo atque prodigio moenibus ipsis intra moenia comparabitur. Et Pub. Scipio apud Alb. Lollium ita laetitiam suam exprimit eo quod Proconsul confirmatus fuerit. *I prosperi avvenimenti, e i felici successi mi somministreranno il valore, l'industria, la fortuna e perizia de' soldati Romani; e sarannomi di tempo in tempo conceduti dalla bontà e providenza de' medesimi Dei, i quali oggi vi posero in animo che mi eleggeste capo di questa impresa. E posciacchè per singolar grazia loro, le cose vostre al presente sono assai liete, e vanno tuttavia procedendo di bene in meglio.... In memoria e per gratitudine di tanti e così illustri benefizj, venite, andiamo tutti con purità di cuore, con sacrifizii, e laudi a ringraziarli divotamente, ed insieme a pregarli etc.*

§. 9.

De Timore.

Timor definitur ab Aristotele, lib. 2. Rhetor. dolor ac perturbatio ex opinione impendentis mali, quod vel perniciem, vel molestiam afferre possit. Concitatur timor si denuncietur malum

aliquod magnum ac grave; si ostentatur imminens esse periculum: si proponatur malum non publicum dumtaxat et commune, sed privatum et proprium futurum esse. Ita Tullius in 2. Catil. impendentes urbis calamitates describit: *Videor mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium, subito uno incendio concidentem. Cerno animo sepultam patriam, miseros atque insepultos acervos civium. Versatur mihi ante oculos aspectus Cethegi in vestra caede bacchantis. Quapropter de summa salute vestra populique R., de vestris conjugibus ac liberis, de fanis ac templis, de libertate ac salute Italiae, deque universa Rep. decernite diligenter, ut instituistis, ac fortiter.* Eadem arte Aeneas Anchisem patrem humeris gestans apud Virg. lib. 2. timorem suum sic exponit ab imminentis calamitatis magnitudine:

Succedoque oneri: dextrae se parvus Julus
Implicuit, sequiturque patrem non passibus aequis,
Pone subit conjux. Ferimur per opaca locorum
Et me, quem dudum non ulla injecta movebant
Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graji
Nunc omnes terrent aurae, sonus excitat omnis
Suspensum, et pariter comitique onerique timentem.

§. 10.

De Molestia.

Molestia, sive *dolor* acerbus est mali praesentis sensus. Excitatur vero, si ex adjunctis mali gravitas augeatur, et immeriti patientis virtu-

tes memorentur. Ita Veturia apud Livium filium Coriolanum alloquitur: *Sine priusquam complexum accipio, sciam, ad hostem, an ad filium venerim: captiva, materne in castris tuis sim. In hoc me longa vita et infelix senecta traxit, ut exulem te, deinde hostem viderem? Potuisti populari hanc terram, quae te genuit et aluit? Non tibi, quamvis infesto animo et minaci perveneras ingredienti fines ira cecidit? Non cum in conspectu Roma fuit, succurrit, intra illa moenia domus ac Penates mei sunt, mater, conjux, liberique? Ergo ego nisi peperissem, Roma non oppugnaretur: nisi filium haberem, libera in libera patria mortua essem?* Fortasse cum miseratione confundi potest hic affectus; sed a Tullio distinctus fuit, et ex utriusque definitione, et allatis exemplis discrimen aliquod exsurgit.

Observationes.

I.

Summa circa movendos affectus in hoc posita est, ut moveamur ipsi. Nam et luctus et irae et indignationis aliquando ridicula fuerit imitatio, si verba vultumque tantum, non etiam animam accomodaverimus. Primum est igitur ut apud nos valeant ea, quae valere apud judicem volumus; afficiamurque, antequam afficere conemur. Neque fieri potest, ut doleat is qui audit,

ut oderit, ut invideat, ut pertimescat aliquid, ut ad fletum ad misericordiamque deducatur, nisi omnes illos motus, quos orator adhibere volet judici, in ipso oratore impressi atque inusti videantur. Sicut enim nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quae nisi admoto igne ignem concipere possit; sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim Oratoris parata, quae possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam, et ardens accesserit. Ut vero moveamur, ea de quibus querimur nobis accidisse credamus, atque id animo nostro persuadeamus. Nos illi simus, qui gravia, indigna passos queramur. Nec agamus rem quasi alienam, sed assumamus illum dolorem: ita dicemus, quae in simili nostro casu dicturi essemus. (Cur nimis longa esse non debeat miseratio dictum est in fine *Perorationis* cap. V. p. 62.)

2.

Non omnes animi motus omnibus in causis excitandi sunt. Primum igitur consideremus oportet (ut se fecisse testatur Tullius) postulet ne causa affectus illos, quibus movendis animum intendimus: nam neque parvis in rebus adhibendae sunt dicendi faces, neque ita animatis hominibus, ut nihil ad eorum mentes oratione flectendas proficere possimus; ne aut irrisione aut odio digni putemur, si aut tragoedias agamus in nugis, aut convellere adoriamur ea, quae

non possunt commoveri. Sicut igitur medico diligenti priusquam conetur aegro adhibere medicinam, non solum morbus ejus cui mederi volet, sed etiam consuetudo valentis, et natura corporis cognoscenda est, sic equidem cum aggredimur auditorum animos permovendos omni mente in ea cogitatione curaque versandum, ut odoremur, quam sagacissime possumus, quid expectent, quid velint, quo deduci affectu facillime posse videantur.

3.

Meminerimus duo esse quae admirabilem eloquentiam faciunt, nempe *motus*, et *mores*. Quoniam igitur non ad veritatem solum sed etiam ad opiniones eorum qui audiunt accomodanda est oratio; hoc primum intelligamus hominum duo esse genera: alterum indoctum et agreste, quod anteferat semper utilitatem honestati: alterum expolitum, quod rebus omnibus dignitatem anteferat. Apud indoctos igitur imperitosque, in ciendis affectibus, fructus, emolumenta, voluptates, vitationesque dolorum perferantur: addantur etiam contumeliae atque ignominiae. Apud homines vero bene institutos plurimum de laude et honestate dicemus. Non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis aetas, non omnis auctoritas, nec vero locus, aut tempus, aut auditor omnis, nec eodem verborum sententiarumque genere tractandus est, nec eorumdem affec-

tuum vi permovendus. Quid aptum sit, hoc est quod maxime deceat in oratione videamus. Idem docuit etiam Flaccus in sua immortali Ep. ad. Pisones de Arte poetica.

Aetatis cujusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus, et annis. . . . .
Qui didicit patriae quid debeat, et quid amicis;
Quo sit amore parens, quo frater amandus, et hospes;
Quod sit conscripti, quod judicis officium; quae
Partes in bellum missi ducis, ille profecto
Reddere personae scit convenientia cuique.
Respicere exemplar vitae, morumque jubebo
Doctum imitatorem, et veras hinc ducere voces.

4.

Quo denique stylo tractandi sint affectus, videamus. Qui enim minima affectatione culti sententiolas et acumina sectantur; qui ornatus verborum et figurarum nimis densant, quasi muliebribus lenociniis verae et masculae eloquentiae dignitatem corrumpunt; nec tam affectus, quam stomachum movent. Porro, ubi atrocitate, invidia, miseratione, caeterisque affectibus pugnandum est, quis ferat verbis contrapositis, et similiter cadentibus loqui irascentem, flentem, rogantem? Cum in his rebus cura verborum deroget affectibus fidem, et ubicumque ars ostenditur, veritas abesse videatur. Elegantissime hac de re scripsit eruditus philologus Daniel Bartoli in suo opere, cui titulus: *l' uomo di lettere.*

„Negli affetti o si prenda ad eccitarli, o ad „acquetarli, che è la parte più difficile della pro„fessione del dire (perchè un' esquisita arte di fi„nissimo giudizio conviene nascondere sotto tan„ta naturalezza, che quanto si dice non paja det„tatura dell' ingegno, ma sfogamento del core, „non lavorato ma nato da se, non portato dallo „studio ma trovato nell' atto stesso del dire) „negli affetti, io dicea, qual uso può avere uno „stile che sia lambiccato a goccia a goccia allo „stentatissimo lume d' una lucerna? E con pa„role tormentate nei traslati, doppie nelle allu„sioni, con sensi spiritosi e sottili più abili a „pizzicare il cervello, che a muovere il core? „*Mortuum non artifex fistula*, disse il Grisologo, „*sed simplex plangit affectio.* Tanto è più vero „quanto è più naturale lo stile degli affetti; nè è „possibile che mentre corrono tutti i pensieri ai „movimenti dell' animo, l' ingegno abbia ozio di „essere studiosamente ingegnoso; nè che mentre „è portato dal cuore alla lingua una impetuosa e „torbida piena di mille sensi, s' abbia tempo di sce„gliere le parole, di travestirle portandole dal na„turale al traslato, ed infiorarle con abbellimenti e „concetti. Anzi chi ha giudizio di buon peso se nel „trattare qualunque materia di affetti si vede dall' „ingegno troppo importunamente fecondo offerire, „e mettere innánzi a fasci le sottigliezze e gli „acuti pensieri, li ributta, e dice lor con Orazio „*non est hic locus.* Fa con l' occhio della sua

„mente quel medesimo che fanno gli occhi del „corpo quando veggono troppa luce: stringe la „pupilla e ne esclude una parte."

Conclusio

primae partis Rhetoricarum Institutionum.

Tyronibus jam prius edoctis quibus modis perfecta elocutio comparari possit, traditum nunc est, quo pacto res omnes inveniri oporteat; dictum, qua ratione sint distribuendae: statutum, qua forma efferenda sint argumenta: praeceptum denique, quibus artis subsidiis excitandi sint animorum motus: quae si sequantur, ornate et suaviter eloquentur, uberrime et cito reperient, distincte et ordinate disponent, graviter et acute disputabunt. demum quocumque volent auditoris animum agent. Hisce instructi subsidiis ad alteram Rhetoricae partem, scilicet ad artem scribendae orationis accedant.

PARS ALTERA.

In quot generibus rerum versatur Oratoria Facultas?

Caput I.

Aristoteles et Tullius tribus in generibus rerum versari Rhetoris officium putaverunt: Demonstrativo, Deliberativo, Judiciali. ***Demonstrativum*** est, quod tribuitur in alicujus personae laudem, vel vituperationem. ***Deliberativum*** est, quod ponitur in consultatione, et disceptatione civili. ***Judiciale***, quod positum in judicio habet in se accusationem et defensionem, quibus aliquid petimus, vel recusamus. Caeterae species in haec tria incidunt genera, nec ulla fere ex his inveniri potest, in qua non laudare, vel vituperare; suadere, vel dissuadere; intendere quid, vel depellere debeamus. — Omnis vero Oratio, cujuscumque generis sit, fere semper quatuor partibus constat: ***Exordio***, ***Narratione***, ***Confirmatione***, et ***Peroratione***. Nunc quoniam exordium princeps omnium esse debet, ita nos quoque primum de ratione exordiendi praecepta dabimus.

Caput II.

De Exordio.

Exordium est ratio dicendi animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem: quod eveniet, si eum benevolum, attentum, et docilem fecerit. Duo sunt exordii genera, aliud *ex abrupto*, aliud *commune*. Illud *ex abrupto* appellatur, quo Orator vehementi aliquo concitatus affectu, causam statim ingreditur; sed rarum est, et extra locum nisi vel singularis causae natura, vel inaudita rerum adjuncta illud expostulent. — *Commune* vero exordium in duas dividitur partes, in principium et insinuationem. *Principium* est Oratio perspicue, et protinus perficiens Auditorem benevolum, aut attentum, aut docilem. *Insinuatio* est Oratio dissimulatione quadam et circuitione obscure subiens auditoris animum. — Quare cum diversa sint genera causarum, exordiri quoque dispari ratione in unoquoque genere necesse est. Si non omnino infesti erunt Auditores, *principio* benevolentiam comparare licebit; sin erunt vehementer abalienati confugere oportebit ad *Insinuationem.* Quod clarius eveniet, si exponemus ea, quae benevolos, attentos, et dociles auditores reddunt.

§. 1.

Quomodo nobis Auditorum benevolentiam, attentionem, et docilitatem comparare possimus.

1. *Benevolentia* tribus ex locis comparatur, ab nostra, ab adversariorum, ab judicum persona. Ab *nostra,* si de nostris factis, et officiis sine arrogantia dicemus; si crimina illata, et minus honestas suspiciones aliquas injectas diluemus: si quae incommoda acciderunt, aut quae instent difficultates proferemus: si prece, ac obsecratione humili, ac supplici utemur. (Vide Tullium in exordio pro Archia.) Ab *adversariorum* autem persona, si eos aut in odium propter eorum facinora, aut in invidiam propter arrogantem, et intolerabilem potentiam; aut in contemptionem propter luxuriosum otium adducemus. (Vide Tullium pro Quinctio, et Dejotaro.) Ab *judicum* persona benevolentia captabitur, si res ab his fortiter, sapienter, mansuete gestae proferentur, ut ne qua assentatio nimia significetur; et si de his, quam honesta existimatio, quantaque eorum judicii, et auctoritatis expectatio sit ostendatur. (Vide Tullium pro Milone et Marcello.) Denique ab ipsa *causa,* cum ea maximi esse momenti demonstratur. (Vide Tullium pro Roscio.)

2. *Attentos* autem faciemus, si demonstrabimus ea, quae dicturi erimus, magna, nova, incredibilia esse, et ad omnes vel ad aliquos illu-

stres homines, vel ad summam universorum salutem pertinere, et si pollicebimur, nos brevi causam nostram esse demonstraturos.

3. *Dociles* tandem auditores faciemus, si aperte, et breviter summam causae explicabimus, hoc est, in quo consistat controversia, sive argumentum. Nam et cum docilem velis facere, simul attentum facias oportet: is enim maxime docilis est, qui attentissime est paratus audire.

§. 2.

De Exordii virtutibus, ac vitiis.

Exordium sententiarum, et gravitatis plurimum debet habere, et omnino omnia, quae ad dignitatem pertinent, continere in se: propterea quod id optime faciendum est, quod Oratorem auditori maxime commendet: splendoris vero, et festivitatis et concinnitudinis minimum; ex his enim suspicio quaedam apparationis, atque artificiosae diligentiae exoritur, quae maxime Orationi fidem, Oratori adimit auctoritatem.

Vitia juxta Tullium haec sunt certissima Exordiorum, quae summopere vitare oportebit: vulgare, commune, commutabile, longum, separatum, translatum, contra praecepta. *Vulgare* est, quod plures in partes causae potest accomodari, et convenire. *Commune* est, quod nihilominus in hanc, quam in contrariam partem causae potest aptari. *Commutabile*, quod ab ad-

versario potest leviter mutatum ex contraria parte dici. *Longum* est, quod pluribus verbis, aut sententiis ultra quam satis est, producitur. *Separatum*, quod non ex ipsa causa ductum est: nec sicut aliquod membrum annexum Orationi. *Translatum*, quod aliud conficit, quam causae genus postulat: ut si quis docilem faciat auditorem, cum benevolentiam causa desiderat; aut si principio utemur, cum insinuationem res postulat. *Contra praecepta* est, quod nihil eorum efficit, quorum causa praecepta traduntur, hoc est, quod eum qui audit neque benevolum, neque attentum, neque docilem efficit, aut quo profecto nihil pejus, ut contra sit, facit.

Hisce vitiis vitatis, ut praecipuas exordii virtutes consequamur, omnia, quae ad causam referuntur, perpendenda sunt; nempe ejus objectum, in cujus favorem, coram quibus, et contra quos loqui debeamus: tempus, locum, rerum statum, judicum, populique opinionem; quibus omnibus sedulo consideratis natura ipsa eo facile ducet, ut videamus, unde Orationis initium sumere expediat. Cicero ex. g. cum pro M. Caelio causam agere die festo coactus fuerit a tempore initium sumpsit: pro Dejotaro, cum inter privatos parietes loqui deberet, a loco inusitato deprompsit: pro Milone ab armatis militibus, qui forum circumstabant: pro Ligario a candida causae expositione etc.

§. 3.

Utrum ad Exordium pertineat partitio, quando et quomodo adhiberi debeat.

Ad *Exordium* potius quam ad aliam Oratoris partem videtur *Partitio* pertinere: haec enim adhiberi solet, ut clariorem in lucem causae nostrae summa constituatur, et Exordii est non solum Auditorum benevolentiam, attentionem, docilitatem comparare, verum etiam ea manifeste proponere, de quibus dicturi sumus.

Recte habita in causa partitio illustrem, et perspicuam totam efficit Orationem: neque enim id solum efficit, ut clariora fiant quae dicuntur, rebus veluti in conspectum auditorum positis, sed reficit quoque audientem certo singularium partium fine. Sed aliquando non solum necessaria non est, immo vero etiam supervacua; quando scilicet ita simplex propositio sit, ut dividi non patiatur, vel hujusmodi, ut partitione non indigeat: et tunc omnino est omittenda.

Quando partitio utiliter adhiberi potest oportet **1.** Ut sit *aperta* et *dilucida*. Quid enim esset turpius, illud esse obscurum ipsum, quod in eum tantum adhibetur usum, ne sint caetera obscura? **2.** *Brevis*, nec ullo supervacuo onerata verbo, neque extraneis ornamentis auditoris animus tenendus est; tunc enim non quid dicamus, sed de quo dicturi sumus ostendimus. **3.** Obtinendum etiam, ne quid *desit*,

ne quid *supersit*, ne plures in partes distribuatur, quam res ipsa postulat; ne ulla pars alteram contineat; ne argumentum aliquod, quo uti debemus in Oratione, Partitioni inserviat. 4. Eas dividenda est in partes, quas res ipsa exigit, ita ut videamur *dividere*, non *frangere*. Atque his de partitione praeceptis, in omni dictione meminisse oportebit, ne nimias in partes, quae confusionem ingerant, argumentum dividamus, deinde ut et prima quaeque pars, ut exposita fuit, sic ordine transigatur; et omnibus explicatis, peroratum sit hoc modo, ne quid posterius, praeter conclusionem, inferamus.

Caput III.

De Narratione.

Narratio est rerum gestarum, vel ut gestarum expositio. Narrationum tria sunt genera. Unum genus est, in quo ipsa causa, omnisque ratio controversiae continetur. Alterum in quo digressio aliqua extra causam, aut criminationis, aut similitudinis, aut delectationis non alienae ab eo negotio, de quo agitur, aut amplificationis causa interponitur. Tertium genus est remotum a civilibus causis, quod solius delectationis causa et dicitur, et scribitur. Nunc de narratione ea,

quae causae continet expositionem dicemus. Oportet igitur, ut haec brevis, aperta, probabilis sit.

1. *Brevis* erit, si unde necesse est, inde initium sumetur, et non ab ultimo: et si cujus rei satis erit summam dixisse, ejus partes non dicentur: (nam saepe satis est, quod factum sit dicere, non ut enarres, quomodo sit factum); et si non longius, quam quod scitu opus est, in narrando proceditur: si nullam in rem aliam transibitur: si ita dicetur ut nonnunquam ex eo, quod dictum est, id quod dictum non est intelligatur; si non modo id quod obest, verum etiam id quod nec obest, nec adjuvat, praeteribitur; et si semel unumquodque dicetur.

2. *Aperta* autem narratio poterit esse, si ut quidque primum gestum erit, ita primum exponetur, et rerum ac temporum ordo servabitur, et eo modo narrentur, quo gestae res erunt, vel quo potuisse geri videbuntur. Hic quoque omnino quae praecepta de brevitate sunt, servare oportet; et praeterea verbis quoque dilucidis utendum est.

3. *Probabilis* erit narratio, si in ea videbuntur inesse, quae solent apparere in veritate; si causae factorum extabunt; si fuisse facultates faciendi videbuntur; si tempus idoneum, si locus opportunus fuisse ostendetur. Juvat etiam semina quaedam probationum spargere, verum sic, ut narrationem esse meminerimus, non probationem;

hinc simpliciter, et breviter. Illud autem considerare oportet, ne aut cum obsit narratio, aut cum nihil prosit tunc interponatur, aut non loco aut quemadmodum causa postulat, narretur. Quod si aliquando obest rei gestae Narratio, et tamen praeteriri non potest, tum membratim oportebit partes rei gestae dispergere in causam, et ad unamquamque confestim rationem accommodare, ut vulneri praesto medicamentum sit, et odium statim defensio mitiget.

Luculentissimum nobis offert Narrationis exemplum Tullius in Orat. pro Milone.

Caput IV.

De Confirmatione.

Tota vincendi spes, ratioque persuadendi posita est in *Confirmatione*, per quam argumentando causae nostrae fidem, auctoritatem, et firmamentum adjungimus. Quod duplici modo conficere possumus: vel nostra argumenta afferentes, et hoc pertinet ad *Confirmationem* proprie dictam: vel allata ab adversario refellentes, et hoc ad *Confutationem* spectat. — Utrum Oratori prius sua confirmanda, an quae ipsi opponuntur refutanda sint, disputatur. Nihil vero potest definiri in universum: aliquando enim, ea quae opponuntur tanti sunt momenti apud Judices et

Auditores, ut, nisi dissolvantur, probationes nostrae, etsi validissimae, minus habeant firmitatis, et roboris: et aliquando frustra conamur contrarias refellere opiniones, et objecta, nisi prius causa nostra firmissimis fulciatur argumentis. Illud vero semper observandum est, quod si facilior nobis sit contrariae partis refutatio, quam nostrae confirmatio (quippe quia infirmae sunt eae probationes, quas attulit adversarius, nec satis firma sunt ea, quae nobis afferre licet) tum abducendi sunt auditorum animi a contraria defensione et ad nostram initio statim traducendi. Porro qui scierit, quid pars adversa, quid nostra habeat valentissimum facile judicabit, quibus maxime rebus, et quo loco vel occurrendum sit vel instandum.

Sive confirmemus vero, sive refutemus quaedam tenenda sunt praecepta. Priusquam Confirmationem ingrediamur, praesertim si Oratio Narratione careat, perillustri aliqua doctrina argumentis nostris quaedam veluti fundamenta jacere debemus. Brevi posita introductione, ad argumenta proceditur. Quaesitum est, potentissima argumenta primo ne loco ponenda sint, ut occupent animos; an summo, ut inde dimittant; an partita primo, summoque, ut in medio sint infirma; an a minimis, ut crescant. Aptior mihi videtur ratio partiendi primo, summoque firmiora argumenta, et in medio veluti fulciendi infirma; ita enim Auditorum animos occupamus, atque dimit-

timus, et argumenta ipsa, quae imbecilla sunt natura mutuo quodam auxilio sustinentur. Quintilianus tamen docet, quod prout ratio cujusque postulet, ordinari possunt, uno excepto, ne a potentissimis ad levissima decrescat Oratio. Semper vero meminisse oportebit, firmissimis argumentorum singulis distincte instandum, infirmiora congreganda esse; ita ut si minimum valent quia magna non sunt, valeant quia multa sunt; et si non ut fulmen, tamen ut grando feriant.

Refutatio vero 4. modis fieri potest 1. per *Reprehensionem*, qua vel falsa, vel non omnino vera demonstramus ea, quae attulit adversarius, sive quae causae nostrae obstare videntur. Ita Cicero in Orat. pro Roscio Amerino absolute negat patrem ab hoc fuisse interfectum; et in Orat. pro Dejotaro concedit hunc regem exercitum comparasse, sed contra Caesarem id factum fuisse negat. 2. Per *Contentionem*, qua sententiam nostram anteferendam esse contendimus, licet adversariorum opinio damnanda non sit. Idem Cicero in Orat. pro leg. Manil. Q. Catullum, et Hortensium commendat: attamen ipsos errare contendit. 3. Per *Dissimulationem*, qua non refutamus directe accusationes, sed vel eas irridentes, vel ad alias res digredientes, earumdem difficultatem obscuramus. In causa pro Caelio Tullius digrediens Metelli mortem deplorat: et pro Murena stoicorum sectam, cui adversarius Cato addictus erat, irridet. 4. Per *Retorsionem*, qua suis ipsius

armis adversarium confodimus, contra eum sua argumenta retorquentes, vel laude dignum demonstrantes, quod ab illo criminis, et turpitudinis arguitur. Ita pro Ligario Tullius in Tuberonem accusationem convertit; pro Roscio adversus Chrysogonum: pro Milone contra Clodium.

Hic vero revocanda sunt, quae de Inventione et praecipue de variis argumentandi formis tradidimus. Meminerimus etiam, quod locuples et speciosa vult esse eloquentia; nostraque argumenta adjuvanda sunt viribus dicentis, et exornanda. Quamlibet enim sint ad docendum quod volumus accommodata, tamen erunt infirma, nisi majore quodam Orationis spiritu impleantur.

Caput V.

De Peroratione.

Conclusiones, quae apud Graecos επιλογοι nominantur, tripartitae sunt: nam constant ex enumeratione, amplificatione, et commiseratione. *Enumeratio* est per quam colligimus, et commonemus, quibus de rebus verba fecerimus. In ea ex Confirmatione et Confutatione gravissima eligenda sunt argumenta; varietate aliqua exornanda; quam brevissime repetenda, ne redintegretur Oratio. *Amplificationis* est conciliare sibi, avertere ab adversario judicem, concitare affectus, et

componere. Id vero efficitur 1. si commemorabimus, quanti momenti sit causae nostrae summa, et quid, ea neglecta, periculorum et incommodorum consequatur. 2. si demonstretur (quando de aliquo patrato facinore rem agimus) vel singulare esse maleficium, et consulto factum, ac proinde nullam ei esse excusationem, atrociusque vindicandum, ne si huic remissum sit, multo alacriores fiant homines ad maleficia: vel si invitum fuisse facinus ostendetur, rei imprudentiae justam deprecationem paratam esse demonstrabimus. 3. si auditores, et judices inducemus, ut publicae utilitati consulant, justitiae, ac virtuti. *Commiseratio* est illa, per quam eam excitamus animi perturbationem, quae pro rerum adjunctis exigitur. Quod ut assequi possit Orator, tanta fide, et cura agere causam debet, quanta pro semetipso ageret: et in se prius animi motus ostendere, quos in alios excitasse velit juxta illud Horatii:

si vis me flere, dolendum
Primum ipsi tibi, tunc tua me infortunia laedent.

His praecipue locis utiles sunt Prosopopejae, id est fictae alienarum personarum Orationes. Mutae etiam res movent, aut cum ipsas per Apostrophem compellamus, aut cum ipsas loqui fingimus. Unde et producere ipsos qui periclitantur squallidos, atque deformes, et liberos eorum, ac parentes, et cruentum gladium, et vestes sanguine perfusas, et similia plerumqne ingentem in Tullii Orationibus habuerunt vim in ciendis affec-

tibus. Numquam tamen longa esse debet miseratio, nec sine causa dictum est a Tullio: *nihil facilius quam lacrymae inarescunt.* Nam cum et veros dolores mitiget tempus, citius evanescat necesse est illa, quam in dicendo finximus, doloris imago. Ne patiamur igitur frigescere hoc opus, et affectum cum ad summum perduxerimus, relinquamus; nec speremus fore, ut aliena quisquam diu ploret. Ideoque cum in aliis, tum maxime in hac parte debet crescere Oratio: quidquid enim non adjicit prioribus, etiam detrahere videtur; et facile deficit affectus, qui descendit.

Observatio.

Oratoris est non solum ut scribat, sed etiam ut memoriter dicat. Quapropter si quae jam tradita sunt scribentem adjuvant, quae mox tradentur praesto erunt dicenti; quibus eo magis intendendus animus est, cum iis quibusdam destituti neque copiose scribere etiam possimus.

Caput VI.

De Memoria.

Omnis disciplina memoria constat, et frustra docemur, si quidquid audimus, praeterfluat. Neque immerito thesaurus inventorum, atque om-

nium Rhetoricae partium custos memoria a Tullio nuncupatur. Qui sit enim Oratori memoriae fructus, quanta utilitas, quanta vis, quid me attinet dicere? Tenere quae didiceris, quae ipse cogitaris! omnes fixas esse in animo sententias! omnem descriptum verborum apparatum! Ita audire dicentes, ut illi non infundere in aures tuas orationem, sed in animo videantur inscribere. Soli qui memoria vigent sciunt quid, et quatenus, et quomodo dicant; nam dum alia dicimus, etiam quae mox dicturi sumus intuenda sunt. Ita cum semper cogitatio ultra id, quod est longius quaerere debeat, quidquid interim reperit quodam modo apud memoriam deponit, quae media quaedam manus acceptum illud ab Inventione tradit Elocutioni. Sive igitur scribamus, sive loquamur, sive aliud quodcumque faciendum sit, si memoria desit, inopes semper erimus: et scriptorum lectio, et praeceptorum utilitas, et laborum, studiique impensus, et omnia quae uberrima Inventionis vis suppeditare poterit, fere inutilia erunt, nisi adjuventur memoria. Quantae igitur sit utilitatis memoria, nemo est, qui non videat: quapropter et in hanc Rhetorices partem incumbamus.

§. 1.

Utrum ad verbum sit ediscendum, an vim rerum, atque ordinem complecti satis sit.

Hac de re non potest in universum pronuntiari. Nam si memoria suffragatur, et tempus non desit, nulla me velim syllaba effugiat: alioquin etiam scribere sit supervacuum. Idque praecipue in scholis obtinendum, atque in hanc consuetudinem memoria exercitatione redigenda, ne nobis discamus ignoscere. Ideoque et admoneri, et ad libellum respicere vitiosissimum est, quod libertatem negligentiae facit: neque enim se quisquam parum tenere judicat, quod ne sibi excidat non timet. Inde interruptus repetitionis impetus, et qui dicit ediscenti similis potiusquam dicenti, auditores opprimit. Praeterea plurimum Oratori, et cuilibet dicenti confert ita dicere, ut ea quae scripsit, aut memoriae mandavit non domi attulisse, sed ibi protinus sumpsisse judicetur; ac proinde juvat, ut quaedam etiam cogitantibus nonnunquam, et dubitantibus similes quaerere videamur.

Si vero aut memoria natura durior erit, aut non suffragabitur tempus, inutile erit ad omnia se verba alligare, cum oblivio unius eorum cujuslibet aut deformem haesitationem aut etiam silentium inducat: tutiusque erit multo, comprehensis animo rebus ipsis, libertatem sibi loquendi relin-

quere; si enim res bene provisa erit, verba non invita sequentur. Sed ne hoc quidem infirmae memoriae remedium est, nisi in iis, qui sibi facultatem aliquam dicendi ex tempore paraverunt, quod si cui utrumque defuerit, huic omittere omnino actionum laborem, ac si quid in litteris valet, ad scribendum potius suadebo convertere. Sed haec rara infelicitas erit, nec ullo modo toleranda in discipulis.

§. 2.

De artificiosa memoria.

Fateor equidem hujus boni naturam esse principem: sed veluti in caeteris rebus ars et exercitatio ea, quae sunt jam in nobis orta ac procreata, educat atque confirmat; ita etiam de memoria dicendum. Quare et illis, qui natura memores sunt, utilis erit haec institutio. Praeter naturalem memoriam, quae nostris animis insita est, et simul cum cogitatione nata, est etiam artificiosa, quam confirmat inductio quaedam, et ratio praeceptionis.

Ac primo: si longior complectenda memoria fuerit Oratio, proderit per partes ediscere: hae vero non sint perexiguae; easque deinceps repetitus ordo conjungat. — Secundo: non est inutile, quo facilius haereant, aliquas apponere notas et signa, quorum recordatio commoneat, et quasi excitet memoriam.

Tertio: illud neminem non juvabit iisdem, quibus scripsit, ceris ediscere. Sequitur enim vestigiis quibusdam memoriam, et velut oculis intuetur non paginas modo, sed versus prope ipsos, qui tum dicit similis legenti. Jam vero si litura, aut adjectio aliqua, aut mutatio interveniat, signa sunt quaedam, quae intuentes errare non possumus.

Quarto: Cum plerumque animum velut otiosum aliae subeant cogitationes, interdum excitandus est: ac proinde et expeditior, et potentior est ratio elata voce ediscendi quam tacite: duplici enim motu memoria juvatur dicendi, et audiendi. Sed haec vox sit modica, et magis murmur, ne citius, et frustra defatigemur.

Quinto: In complectendis, continendisque iis, quae dicimus, multum valent divisio, et compositio. Qui enim recte diviserit, nunquam poterit in rerum ordine errare; cum ita cohaereat omnis rerum copulatio, ut ei nihil nec subtrahi sine manifesto intellectu, nec inseri possit. Etiam ea, quae bene composita erunt, memoriam serie sua ducent: sicut enim facilius versus ediscimus, quam prosam orationem, ita prosam vinctam quam solutam.

Sexto: Non omittam quod quotidianis experimentis deprehenditur, minime fidelem esse paulo tardioribus ingeniis recentem memoriam. Mirum jam dictu est, nec in promptu ratio, quantum nox interposita afferat memoriae firmitatis.

Sive quiescit labor ille, cujus sibi ipsa fatigatio obstabat: sive maturatur, et veluti concoquitur, confirmatque memoriam idem illud tempus, quod esse in causa solet oblivionis.

Septimo: Si quis denique a me unam, maximamque artem memoriae quaerat, exercitatio est, et labor; multa ediscere, multa cogitare, et quotidie, et bene potentissimum est: *neque enim*, ait Tullius, *tam hebeti memoria fere quisquam est, ut nihil hac consuetudine, et exercitatione adjuvetur.*

Caput VII.

De Pronuntiatione.

Pronuntiatio a plerisque actio dicitur: sed prius nomen a voce, alterum a gestu videtur accipere: utraque tamen appellatione uti licet. Habet autem quandam miram in Oratoribus vim, atque potestatem: neque enim tam refert qualia sint, quae intra nosmetipsos composuimus, quam quo modo efferantur; nam ita quisque, ut audit, movetur. Quare nec probatio ulla, quae modo venit ab Oratore, tam firma est, ut non perdat vires suas, nisi adjuvetur asseveratione dicentis. Affectus omnes languescant necesse est, nisi voce, vultu, totius prope corporis habitu inardescant. Equidem vel mediocrem Orationem actionis viribus commendatam affirmaverim plus habitu-

224

ram esse momenti, quam optimam illa eadem destitutam. Documento sunt scenici actores, qui et optimis poetarum tantum adjiciunt gratiae, ut nos infinite magis eadem illa audita, quam lecta delectent; et vilissimis etiam quibusdam impetrent aures, ut quibus nullus est in Bibliothecis locus, sit etiam frequens in theatris. Quod si in rebus, quas fictas esse scimus, et inanes tantum pronuntiatio potest, ut iram, lacrymas, sollicitudinem afferat, quanto plus valeat necesse est, ubi et credimus! *Actio*, ita sapientissime Tullius, *una in dicendo dominatur: sine hac summus Orator esse in numero nullo potest: mediocris hac instructus summos saepe superare.* Huic primas dedisse partes Demosthenes dicitur (cum rogaretur quid in dicendo esset primum) huic secundas, huic tertias — Ergo quomodo nobis perficienda vel comparanda sit, videamus. — Cum sit autem omnis actio in duas, ut dixi, divisa partes: *vocem*, *gestumque*, quorum alter oculos, altera aures movet, per quos duos sensus omnis ad animum penetrat affectus; prius est de *voce* dicendum, cui etiam *gestus* accomodatur.

§. 1.

De Voce.

Non alia est ratio pronuntiationis, quam ipsius Orationis; nam ut illa emendata, dilucida, ornata et apta esse debet, ita quoque pronunciatio:

1. *Emendata* erit, id est vitio carebit, si fuerit os facile, explanatum, jucundum, urbanum, id est, in quo nulla neque rusticitas, neque peregrinitas resonet. Itaque sit ipsa vox primum, ut ita dicam, sana, quae scilicet firmitudinem habeat; deinde non subsurda, dura, rudis, rigida, vana, tenuis, mollis, acerba, pusilla, effeminata: spiritus nec brevis, nec parum durabilis, nec in receptis difficilis.

2. *Dilucida* erit pronuntiatio, primo si verba tota exegerit, quorum pars devorari, pars destitui solet a plerisque extremas syllabas non proferentibus, dum priorum sono indulgent. Ut est autem necessaria verborum explanatio, ita omnes computare, et velut enumerare litteras molestum et odiosum. Secundo; si erit Oratio disjuncta, id est, si observabitur, quo loco sustinendus, et quasi suspendendus sermo sit, quo deponendus.

3. Ut *Ornata* sit pronuntiatio oportet, ut vox sit facilis, firma, dulcis, durabilis, clara, auribus sedens: ne sermo subsultet imparibus spatiis ac sonis miscens gravia acutis, elata submissis, atque ut opportune varietur. Ars porro variandi vocem tum gratiam praebet, ac renovat aures, tum dicentem ipsa laboris mutatione reficit: ut standi, ambulandi, sedendi, vices sunt, nihilque horum pati unum diu possumus. Vitemus igitur illam, quae graece *Μονοτονία* vocatur, una quaedam spiritus ac soni intentio. Vox autem

ultra vires urgenda non est, nec volubilitate nimia confundenda quae dicimus, cui contrarium est vitium nimiae tarditatis. Promptum sit os, non praeceps: moderatum, non lentum. Spiritus quoque nec crebro receptus concidat sententiam, nec eo usque trahatur donec deficiat. Sed quodcumque ex his vitium magis tulerim, quam quo maxime laboratur in scholis, cantandi; quod inutilius sit, an faedius nescio, ajebat Quintilianus.

4. *Apta* esse debet pronuntiatio, scilicet iis quae dicimus, accomodata: est enim mentis index, ac velut exemplar, at totidem quot illa mutationes habet. Itaque laetis in rebus plena, simplex, et ipsa quodammodo hilaris fluit; at in certamine erecta totis viribus, et velut omnibus nervis intenditur. Atrox in ira, et aspera, ac densa, et respiratione crebra. In blandiendo, vel rogando lenis, et submissa; si suadeas, moneas, pollicearis, gravis sit. In metu, et verecundia contracta: in adhortationibus fortis, in disputationibus teres: in miseratione flexa, flebilis, et consulto quasi obscurior. Attollitur autem concitatis affectibus, compositis descendit pro utriusque rei modo, vel altius vel inferius.

Scio, me in quibusdam frustra desiderare emendatam, dilucidam, ornatam atque aptam pronuntiationem, quippe quia aliquo laborant vitio, quod nulla fortasse arte vinci potest: sed nos de illis loquimur, quibus non frustra praecipitur.

§. 2.

De Gestu.

Quantum *gestus* habeat in Oratore momenti satis vel ex eo patet, quod pleraque etiam citra verba significat. Quippe quia non manus solum, sed nutus etiam nostram declarant voluntatem, et in mutis pro sermone sunt. Quod si gestus, ac vultus ab Oratione dissentiant, tristia dicemus hilares, affirmabimus aliqua renuentes, non auctoritas modo verbis deerit, sed etiam fides. Ideoque Demosthenes grande quoddam speculum intuens componere actionem solebat.

Gestus est moderatio quaedam vultus, et totius corporis motus, quae pronuntianti convenit, et probabiliora reddit ea quae pronuntiantur. In gestu vero maxime *vultus* dominatur. Hoc supplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc tristes, hoc hilares, hoc erecti, hoc summissi sumus; hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc spectant etiam antequam dicamus: hic saepe pro omnibus verbis. Sed in ipso vultu plurimum valent *oculi;* quare oculorum magna est moderatio. Ipsi enim sunt, quorum tum intentione, tum remissione, tum conjectu, tum hilaritate motus animorum apte cum genere ipso Orationis significemus. *Oculos,* inquit Tullius, *natura nobis, ut equo et leoni setas, caudam, aures* ad motus animorum declarandos dedit. Quare in actione secundum vocem vultus valet; is autem ocu-

lis gubernatur. Multum et *superciliis* agitur; nam et oculos formant aliquatenus, et fronti imperant. His contractis tristitia, diductis hilaritas, remissis pudor ostenditur. *Naribus*, *labrisque* non fere quidquam decenter ostendimus; tametsi derisus, fastidium, contemptus significare solet. Nam et corrugare nares, et inflare, et movere, et digito inquietare, et impulsu subito spiritum excutere, et diducere saepius, et plana manu resupinare indecorum est; cum emunctio etiam frequentior non sine causa reprehendatur. In verbis quoque efferendis modicus esse debet labrorum motus, ore enim magis quam labris loquendum est — *Caput* sit rectum, et secundum naturam: nam dejecto humilitas; supino arrogantia; in latus inclinato languor; praeduro, ac rigente barbaries quaedam mentis ostenditur. Cum gestu concordet, et manibus ac lateribus consequatur: adspectus enim semper eodem vertitur, quo gestus; exceptis quae aut damnare aut non concedere, aut a nobis amovere oportebit. — *Humerorum* raro decens allevatio est, atque contractio. — *Brachii* moderata projectio maxime decet: expatiatur enim aliquando in latus, et ipsa quodammodo se cum gestu fundit Oratio. — *Manus* vero, sine quibus trunca esset actio, ac debilis, vix dici potest, quos motus habeant. Caeterae partes loquentem adjuvant, hae, prope est ut dicam, ipsae loquuntur. An non his poscimus, pollicemur, vocamus,

dimittimus, minamur, supplicamus, abominamur, timemus, interrogamus, negamus et caetera? Optime autem manus a sinistra parte incipit, in dextera deponitur, sed ut deponi, non ferire videatur. Tolli manum artifices supra oculos, demitti infra pectus vetant, jubentque ut manus cum sensu et incipiat et deponatur: verum hoc non semper. — Manus sinistra nunquam sola recte gestum facit, dexterae potius se frequenter accomodat, sive in digitos argumenta digerimus, sive aversis in sinistram palmis abominamur, etc. — *Pectus* ac *venter* ne projiciantur observandum; incurvant enim posteriora et est otiosa omnis supinitas. — *Latera* cum gestu consentiant: faciunt enim aliquod et totius corporis motus, adeo ut Cicero plus illis agi, quam manibus ipsis putet. *Foemur* ferire et usitatum est, et indignantes decet, et excitat auditorem. — Denique *pedis supplosio* ut loco est opportuna in contentionibus aut incipiendis aut finiendis, ita crebra et inepti est hominis, et desinit auditores in se convertere.

§. 3.

Quid observandum circa vocis usum, ac gestus?

Haec sunt vel illustramenta pronuntiationis vel vitia, quibus propositis multa cogitare debet Orator. Primum quid, apud quos, quibus prae-

sentibus dicat: nam ut dicere alia aliis, et apud alios magis convenit, sic etiam facere. Quare vox, gestus, incessus et argumentis, et loco, et auditoribus debent accommodari. Igitur in laudationibus (nisi funebres erunt) in gratiarum actione, exhortatione, similibusque, laeta, et magnifica, et sublimis sit actio. Funebres conciones, consolationes, et plerumque causae reorum tristes sint ac submissae. In senatu conservanda auctoritas, apud populum dignitas, in privatis modus.

Singulae partes suam propriam habent actionem sive vocis, sive gestus; utrumque enim iis, quae dicimus, aptum esse debet. Sed generatim *prooemio* lenis convenit pronuntiatio, vox temperata, modestia in gestu, oculis eodem spectantibus, dummodo tamen ex abrupto non sit.—*Narratio* magis prolatam manum, gestum distinctum, vocem sermoni proximam postulat. *Argumentatio* plerumque agilior, et acrior, et instantior est; ideoque consentientem Orationi vult etiam gestum, ac vocem, id est fortem celeritatem. *Epilogus* si enumerationem rerum habeat, desiderat quamdam concisorum continuationem; hinc instandum quibusdam in partibus, ac veluti densanda voce, ac gestu Oratio. Si vero ad movendos auditores est accommodatus flexum vocis, et flebilem suavitatem postulat; qua praecipue franguntur animi, quaeque est maxime naturalis. Illa quoque mire facit in Peroratione velut deficientis dolore, et fatigitione confessio.

Quae de pronuntiatione, scilicet de voce, ac gestu dicta sunt, diligentissime serventur. *Porro in iis, quae sunt actionis*, ait Tullius, *inest quaedam vis a natura data: quare etiam hac imperiti, hac vulgus, hac denique barbari maxime commoventur. Verba enim neminem movent, nisi eum qui ejusdem linguae societate conjunctus est, sententiaeque saepe acutae, non acutorum hominum sensu praetervolant: actio, quae prae se motum animi fert, omnes movet, iisdem enim omnium animi motibus concitantur, et eos iisdem notis, et in aliis agnoscunt, et in se ipsi indicant.*

Conclusio

secundae partis Rhetoricarum Institutionum.

Quae de singulis Orationis partibus, de Memoria, atque Pronuntiatione breviter praecepta sunt, satis esse arbitror, ubi discentium exercitatio, studium, ac labor accedat. Hanc igitur orandi praestantiam, qua nihil Dii immortales melius homini dederunt, et qua remota muta sunt omnia, et luce praesenti, et memoria posteritatis carent, toto animo petamus, nitamurque semper ad optima. Arduum quidem est tantum opus perficere: verum etiamsi quis summa desperet, pulchrum tamen est, ut Cicero ait, in secundis, tertiisque consistere.

Discipulos id unum interim moneo Quintiliani verbis, ut praeceptores suos non minus quam ipsa studia ament: et parentes esse non quidem corporum, sed mentium credant. Multum haec pietas confert studio. Nam ita et libenter audient, et dictis credent, et esse similes concupiscent: in ipsos denique coetus scholarum laeti, et alacres convenient. Emendati non irascentur, laudati gaudebunt. Ut sint carissimi, studio merebuntur. Nam ut illorum officium est docere, sic horum praebere se dociles, alioqui neutrum sine altero sufficiet. Et sicuti... frustra sparseris semina nisi illa permollitus foverit sulcus: ita eloquentia coalescere nequit, nisi sociata tradentis, accipientisque concordia

---

Appendix

de styli exercendi necessitate, ac de praeceptis quae in imitatione Scriptorum tenenda sunt.

Nemo plane poterit litterariam assequi facultatem, si postquam Rhetoricae praecepta didicerit, nunquam aut raro stylum exerceat scribendo. Quid refert scriptorum sensum complecti, eorumque etiam admirari praestantiam, si nihil unquam in publicam lucem proferre valeamus? Nonne maxime dedeceret, continuo mole praeceptorum obrutos juvenes nihil in stylo tractando, nihil in imitatione scriptorum exerceri, ita ut toto completo Gymnasii cursu solam noverint longam praeceptorum seriem recitare, in scribendo vero, judiciumque de operibus ferendo hospites omnino, et peregrini videantur? Caeteros pudeat, si qui ita se litteris abdiderunt, ut nihil possint ex his ad communem fructum afferre. *Caput est* (inquit Tullius) *quod, ut vere dicam, minime facimus; est enim magni laboris, quem plerumque fugimus: quam plurimum scribere. Stylus optimus, et praestantissimus dicendi effector, ac magister.* Cogitanti vero mihi plures vobis prae manus habendos esse, ac interpretandos scriptores aetate, genere, ac virtute nequaquam pares, opportunum vi-

sum est, quasdam generales veluti leges praescribere, quibus et imitationis vitia effugere, et ejusdem assequi fructus possitis.

I. Videndum quos imitemur: plerique enim sunt, qui similitudinem pessimi cujusque, et corruptissimi concupiscunt. Deinde in ipsis, quos elegerimus, quid imitandum sit considerari oportet. Nam in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitiosa; atque utinam tam bona imitantes dicerent melius, quam mala pejus dicunt! Sed plerumque in pejora declinant, et proxima virtutibus vitia comprehendunt, ac pro grandibus tumidi, pressis exiles, fortibus temerarii, simplicibus negligentes fiunt. — Noverat Quintilianus quosdam temporibus suis, qui, si quid modo longius circumduxissent, jurabant Ciceronem ita locutum fuisse: quippe se pulchre expressisse genus illud caelestis hujus in dicendo viri, si in clausula posuissent *esse videatur*. Ergo primum quod imitatus est quisque intelligat; et quare bonum sit, videat.

II. Praeterea notandum quaedam minime esse imitabilia iis, quibus aut infirmitas naturae non sufficiat, aut diversitas repugnet. Neque cui tenue ingenium est sola velit fortia, et abrupta: cui forte quidem, sed indomitum, amore subtilitatis, et vim suam perdat, et elegantiam, quam cupit, non assequatur. Nihil enim magis indecorum est, quam si mollia dure fiant. Suo quisque indulgeat ingenio: ut enim in caeteris, ita etiam in scri-

bendo *trahit sua quemque voluptas;* et alios simplicia, alios grandia, quosdam suavitas et quidam lepos, quosdam grave nescio quid, aut severum, et vehemens delectat. Ideoque videndum est, quo quemque maxime ipsa ferat natura.

III. Id quoque vitandum (in quo magna pars errat) ne in oratione soluta poetas nobis, et historicos, vel in carminibus Oratores, et declamatores imitandos putemus. Poetae enim duris cohibentur legibus, et ad certam pedum necessitatem alligati non semper propriis uti possunt verbis: ast quaedam non mutare solum, sed extendere, corripere, convertere, dividere coguntur, et majori palam gaudent tum libertate verborum, tum figurarum licentia. Historia vero alere stylum molli, jucundoque succo potest: verum et ipsa proxime poetis est, et ad narrandum scribitur, ideoque liberioribus verbis, et remotioribus figuris narrandi taedium vitat. Sua cuique proposita lex, suus decor est. Nec Comoedia in cothurnos assurgit, nec contra Tragoedia socco ingreditur. Habet tamen eloquentia aliquid commune. Id imitemur, quod commune est.

IV. Etiam hoc solet incommodi accidere iis, qui se uni alicui generi dediderunt, ut si asperitas his placuit alicujus, hanc etiam in leni, ac remisso scribendi genere non exuant: si tenuitas, ac nuditas, eamdem in asperis, gravibusque adhibeant argumentis; cum sint e contra alia leniter, alia aspere, alia concitate, alia remisse

dicenda, quorum omnium dissimilis, atque diversa inter se ratio est. Itaque ne hoc quidem suaserim uni se alicui proprie, quem per omnia sequatur, addicere. Plurium potius bona ponamus ante oculos, ut aliud ex alio haereat, et quo quicque conveniat, aptemus.

V. Denique ne imitando decipiamur quaeri potest, qui sint scriptores ad alenda primarum aetatum ingenia magis accommodati. Ego, ait Quintilianus, et optimos quidem, et statim, et semper proponam. Duo autem genera maxime cavenda pueris puto. Unum, ne quis eos antiquitatis nimius admirator veterum lectione durescere velit; fient enim horridi, atque jejuni... Alterum quod huic diversum est, ne recentis lasciviae flosculis capti voluptate quadam prava delinientur... Firmis autem judiciis jamque extra periculum positis suaserim et antiquos legere, ex quibus, si assumatur solida, ac virilis ingenii vis, deterso rudis saeculi squallore, tum noster hic cultus enitescet; et novos, quibus et ipsis multa virtus adest, neque enim nos tarditatis natura damnavit.

De Variis Latinorum Scriptorum aetatibus.

Nostis jam eos esse eligendos scriptores, quos et sua commendat doctrina, et communis eruditorum consensus confirmavit: neque enim ex omnibus aetatibus, neque ex omni nota reci-

piendi sunt. Non paria fuerunt saecula: optimis successere mala, malis pessima, pessimis emendatiora, emendatioribus optima. Neminem latet quatuor fuisse latinae linguae aetates, nempe: *auream, argenteam, aeneam* ac *ferream* seu *luteam.*

Aetas aurea linguae latinae incipit ab anno urbis conditae DXIV. desinit in annum DCCLXVII. qui est aerae Christianae XIV.

Aetas argentea incipit ab aerae Christianae anno XIV. desinit in annum CXVII.

Aetas aenea incipit ab anno Christi CXVII. desinit in annum CCCC.

Aetas ferrea, ac *lutea* incipit ab anno Christi CCCC. desinit in saec. IX.

Scriptores aetatis aureae, eorumque patria, aetas, stylus.

Ennius.

Ennius, Latinus poeta vetustissimus, natus est Rudiis, quod est oppidum Calabriae. Plurima scripsit, quae longa vetustate perierunt. Stylus ejus fuit horridior, incomptaque Oratio, ut illis temporibus. De eo rogatus Virgilius quid sentiret, respondit, se aurum colligere de stercore Ennii. Ovidius scripsit: ***Ennius ingenio maximus, arte rudis.*** Et Quintilianus ait: ***Ennium sicut sacros vetustate lucos adoremus, in quibus grandia et antiqua robora jam non tantam habent speciem,***

quantam Religionem. Hujus scriptoris fragmenta tantummodo supersunt apud Ciceronem, Quintilianum, Senecam, Gellium, Macrobium, et veteres grammaticos.

Pacuvius.

Pacuvius, Ennii sorore natus, Brundusinus fuit. Scripsit Tragoedias, quarum nunc extant tantummodo fragmenta, gravitate sententiarum, verborum pondere et auctoritate personarum clarissimas. Stylus ac nitor desiderantur, qui non illi, sed temporibus defuerunt.

Caecilius.

Caecilius, poeta Comicus Ennii contubernalis, natione Gallus. Cicero eum vocat malum Latinitatis auctorem. Horatius eum laudat a gravitate, et Varro ei palmam in Comicis argumentis concedit.

Plautus.

M. Accius Plautus, natione Umber, Comoedias scripsit. Excelluit Latinae linguae puritate: tamen sales plerumque invenustos, et suos male tornatos numeros notavit Horatius in arte Poetica. Obiit a. u. c. 470. Umbriae. Est plenus facetiis, et omnium festivissimus. Varronis sententia Plautus in sermonibus palmam poscit.

Cato.

M. Portius Cato ex Tusculano municipio natus est, Quinto Fabio Maximo primum Consule. Scripsit historiam, et libros de originibus rerum,

item de re rustica, et alia. Reliquit plurimas Orationes, quibus omnes Orationis virtutes inerant. Ex his solus liber de re rustica superest: aliorum scriptorum aliquot solummodo fragmenta. Fuit stoicus, sed summa humanitate. Linguam graecam in senectute didicit. Mortuus est annis 86. ante Ciceronem Consulem. Praeter Tullium, qui passim in scriptis suis ejus mentionem facit, summis laudibus etiam Livius, Plinius et Valerius Maximus variis in locis eum praedicant.

Terentius.

Terentius, natus Chartagine a. u. c. 560, auctor est Latinitatis tersissimus. Utinam semper castigatus! In pingendis hominum moribus, et arte coagmentandae fabulae caeteros vincit Comicos. De illo scripsit C. Caesar:

Tu quoque tu in summis, o dimidiate Menander
Poneris, et merito puri sermonis amator.
Lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis
Comica, ut aequato virtus polleret honore
Cum Graecis, neque in hac despectus parte jaceres.
Unum hoc maceror, et doleo tibi deesse, Terenti.

Lucretius Carus.

Lucretius Carus insignis est ob Latinum sermonem, et sententiarum gravitatem. Versus habet paulo horridiores, interdum obscoenos, et impios. Scripsit Physica. (N. Romae. U. C. 658.)

Catullus.

Catullus, Veronensis, natus a. u. c. 667. Scripsit odas, elegias, epigrammata. Latinitate pu-

rus, saepe obscoenus, et mordax. Scripsit de passere suae Lesbiae, et alia multa. Eum doctum appellat Tibullus, elegantissimum poetarum Gellius. Ovidius de illo cecinit L. 3. Eleg. 15.

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo.

Virgilius.

Virgilius Maronem quemdam figulum opificem patrem habuit. Natus Ande vico agri Mantuani, anno U. C. 684. Primum apud Latinos inter poetas locum obtinet sublimitate, puritate, nitore. De illo scripsit Juvenalis:

Conditor Iliadis cantabitur, atque Maronis
Altisoni dubiam facientia carmina palmam.

Praeter Aeneidem, Bucolicam, et Georgicam scripsit aureo plane stylo, ac nitore.

Horatius.

Horatius quinque post Virgilium annis editus Venusii in Apulia. Omnia ingeniose, splendide, luculenter scripsit. Lyricorum Latinorum princeps, et Quintiliani judicio fere solus legi dignus. Praeter odas satyras quoque et Epistolas scripsit ad notandos hominum mores praecipuas. Inter Epistolas eminet illa ad Pisones de arte Poetica. Ubique lepidissimus, elegantissimus. De illo Ovidius:

Et tenuit nostras numerosus Horatius aures,
Dum ferit Ausoniâ carmina culta lyrâ.

Propertius et Tibullus.

Propertius et *Tibullus* nati sunt circa annum U. C. 710, uterque poeta melior, quam castigati-

or. *Propertius* ex Umbria magni spiritus, et poeticae eruditionis copia insignis: quem facundum et lascivum Martialis, blandum ac tenerum Ovidius vocat. *Tibullus* Elegiographus, natus Romae, ingenio facili, egregia forma, amplo patrimonio nobiliores civitatis sibi conciliavit. Familiariter dilexit Horatium, et Ovidium. In amores, et delicias paulo proclivior. Obiit virenti adhuc aetate Eum ut elegantem et tersum commendat Quintilianus.

Ovidius.

Ovidius patriam habuit Sulmonem, urbem Pelignorum in Italia a. U. C. 751. — Amoenus vates, copiosus, ingeniosus, et illaborata facilitate gratus. Poetarum ingeniossimum appellat Seneca Nasonem. Ejus Medaea (tragoedia deperdita) ait Quintilianus, videtur mihi ostendere, quantum vir ille praestare potuerit, si ingenio suo temperare, quam indulgere maluisset.

Gratius Faliscus.

Gratius patria *Faliscus*, poeta Latinus, Ovidii aequalis carmen epicum edidit graeco nomine *κυνηγετικον*, in quo de *Venatione* agit, ceu de canum, et equorum, quibus in venando utimur, educatione, et cultu, de instrumento venatorio,, de ratione venandi etc. De illo scripsit Ovidius (4. ex Pont. ep. ult. v. 34.)

Aptaque venanti Gratius arma daret

Publius.

Publius Syrus origine, Mimographus poeta L. Julio Caesari familiaris scripsit mimos quosdam sententiis acutis, gravibus et dignis, quae a pueris ediscantur. Obiit anno circiter XLIII. ante Christum.

Caesar.

Julius Caesar non modo belli, sed etiam domi laude ingenii clarissimus, optimus Orator, poeta etiam valde bonus. Satis ostendunt quam fuerit in scribendo felix, et latine sciens, quae adhuc supersunt Commentaria de bellis a se gestis Gallico, et Civili, in quibus et sermonis nitorem lucidissimum, et rerum mirabilem perspicuitatem nemo satis pro dignitate unquam laudaverit.

Cicero.

M. Tullius Cicero natus est Arpini an. u. c. DCXLVII. ante Christum CIII. Romae educatus magistros habuit partim ibi, partim in Graecia doctissimos viros. Attigit etiam Poeticam, et quaedam carmina composuit non invitis omnino Musis, sed singularis fuit, atque eximia eloquentiae facultas, qua maxime excelluit, et Romanorum omnium tum ante, tum post se disertissimus evasit. Plurima scripsit, quorum major extat pars, multos libros de Eloquentia, et de Philosophia, elegantissimas epistolas, et divinas Orationes multas, tanta sermonis elegantia, et nitore, tam singulari facundia, *ut non immerito ab hominibus ae-*

tatis suae regnare in judiciis dictus sit; apud posteros vero id sit consecutus, ut Cicero jam non hominis, sed eloquentiae nomen habeatur, ait Quintilianus, et addit: *ille se profecisse sciat, cum sibi Cicero valde placuerit.* (l. 10. c. 1.) Occisus est annos natus LXIV. cum a villa sua prope Capuam ad mare, fugae causa, lectica deferretur, jubente Antonio, quem Philippicis suis summopere irritaverat.

Cornificius.

Q. Cornificius ex Romana plebe, collega fuit Ciceronis in auguratu, et competitor in Consulatu; ad quem extant multae epistolae l. 12. fam. Hunc aliqui putant auctorem librorum quatuor, qui inscribuntur *Rhetoricorum ad C. Herennium;* multisque ac dignis laudibus cumulant.

Cornelius Nepos.

Cornelius Nepos aureae aetatis scriptor vere aureus patria fuit Veronensis ex Romana familia. Floruit Ciceronis temporibus, Latinamque linguam plurimis scriptis illustravit, ex quibus unum tantum liber, et ne hic quidem integer aetatem tulit, *de Vitis excellentium Imperatorum.* Ejus nitorem, elegantiam, et puritatem, qui laudare velit, actum egerit, cum vel unius pagellae lectio sermonis amatorem satis, superque alliciat, et in sui admirationem trahat. De eo luculentissime Tullius in Bruto.

Sallustius.

Crispus Sallustius Ciceronis fere aequalis, ejusque inimicus, obiit anno ante Christum natum 27. circiter: scripsitque multa tanta laude historicae veritatis, quanta profligatae vitae laboravit infamia. Scripsit libros historiarum pop. Rom. quorum fragmenta tantummodo aliqua supersunt, et de conjuratione Catilinae, ac bello Jugurthino, dicendi genere gravi, acuto, ac conciso, Catonis coloribus, brevitate Thucididis, et sua immortali velocitate, ut ait Quintilianus. Ejus scripta tamen Asinius Pollio apud Svetonium reprehendit, ut nimia priscorum verborum affectione oblita.

Hirtius.

A. Hirtius vel *Oppius* consul fuit Romae cum Pansa, quocum ab Antonio caesus est. Hic auctor est libri octavi de bello Caesaris Gallico: item de Africano et Alexandrino. Liber de bello Africano horum omnium est elegantissimus. De bello autem Hispaniensi liber longe inferiore stylo est conscriptus.

Livius.

T. Livius Patavii natus ante Ch. anno 59. Romae diu vixit sub Augusto et Tiberio, et obiit demum in patria an. post Ch. 18. Romanam scripsit historiam ab initio ad sua usque tempora libris 140, ex quibus vix 45 supersunt: periere caeteri magno damno historiae, ac litterarum. Enim disertissi-

mum virum Seneca appellat, et Tacitus veterum auctorum eloquentissimum. Quintilianus autem ejus lacteam ubertatem laudat, et eum in narrando mirae jucunditatis, clarissimique candoris, tum in concionibus supra quam enarrari possit, eloquentem praedicat. Mirum vero, quod narrat Plinius, fuisse, qui usque a Gadibus illius visendi causa Romam veniret, visoque abiret statim: quasi in urbe domina terrarum, ac populorum majus esset miraculum vir unus, quam opes reliquae, et potentia.

Phaedrus.

Phaedrus origine Thrax, libertus Augusti, floruit sub Tiberio. Lucet in eo nativus quidam Latini sermonis lepos, aureo Augusti saeculo dignissimus.

Cornelius Severus.

Cornelius Severus poeta, et declamator Augusti tempore, scripsit bellum Siculum, sed imperfectum reliquit, teste Quintiliano (l. 10. c. 1. a. med.) atque id ipsum excidit. Praeterea carmen de Aetna, ut colligitur ex Seneca, quod extat. Est etiam quoddam fragmentum, quod ejus nomine circumfertur de morte Ciceronis. A Quintiliano dicitur melior versificator, quam poeta.

Pedo.

Pedo Albinoranus poeta heroicus, ut ex Quintiliano cognoscimus (l. 10. c. 15.) vixit Augusto imperante. A Martiale accensetur epigrammatum

lasciviorum scriptoribus. Fabulatorem elegantissimum eum appellat Seneca, et sidereum Ovidius, fortasse etiam quia de caelo, et sideribus quaedam scripserit. Porro ex ep. 10. ejusdem de Ponto v. 71. intelligimus eum conscripsisse Thesei res gestas. Condidit etiam de navigatione Caesaris germanici Carmen.

Vitruvius.

M. Vitruvius Pollio peritissimus Architectonicae artis, de ea scripsit libros decem ad Augustum Imp. cum aetate jam provectus esset, floruissetque sub Julio Caesare. Ejus stylus plebejus subinde est, et illa latinae linguae aetate fere indignus, nec tamen propter antiquitatem condemnandus. Habet praeterea loca quamplurima intellectu maxime difficilia, circa quae plurimi celebres viri cum magnopere desudarint, non modo assequi veram eorum sententiam hactenus non potuerunt, sed spem quidem vix ullam reliquisse videntur fore aliquando, ut intelligi penitus a quoquam possint; quod tamen non scriptoris vitio vertendum est, sed dolendum, neminem ex antiquis, qui de architectura scripsere, praeter unum Vitruvium ad nos pervenisse, cujus adjumento ille multo facilius illustrari potuisset.

Manilius.

Manilius postrema augusti aetate vixit, scripsitque eruditum, ac jucundum poema Astronomicon, stylo illorum temporum non indigno.

Varo.

M. Terentius Varo, civis Romanus, Ciceronis aetate, fuit Romanorum omnium eruditissimus, quo nemo unquam doctior, ne apud Graecos quidem, nedum apud Latinos. Plurimos doctissimosque scripsit libros de lingua latina, et alia quamplurima, quae fere omnia periere. Obiit prope nonagenarius, cum anno aetatis suae octuagesimo octavo adhuc scriberet.

Asconius Pedianus.

Asconius Pedianus, Patavinus, grammaticus doctissimus, scripsit breves commentarios in quasdam Orationes Ciceronis, qui adhuc extant, stylo puro, et supra grammaticum, suaque aetate non indigno. Servius enim scribit vixisse eum tempore Virgilii, quod plerique alii confirmant: neque confundendus hic est cum altero *Pediano* historico.

Observatio.

Ex his aetatis aureae scriptoribus supra ceteros eminent (eruditorum judicio) *Terentius*, *Catullus*, *Caesar*, *Nepos*, *Cicero*, *Virgilius*, *Horatius*, *Ovidius*, *T. Livius*, *Sallustius*; sed hic quidem verborum novator est, ideoque non omnibus ingeniis aptus.

Scriptores aetatis argenteae.

Senecae.

Seneca nomen duorum in litteris illustrium virorum. Primus vixit sub Augusto, et Tiberio. Cordubensis erat. Tragicam ignorat artem. Ampullosa sunt ejus carmina, plerumque tamen plena spiritus et ardoris. Latinitas non ignobilis: multo praestantior fuisset, si ingenium suum temperasset. — *Alter* sub Nerone vixit: Egregius vitiorum insectator fuit. In hoc ingenium facile, et copiosum, plurimum studii, multarum rerum cognitionem, multas clarasque sententias invenies. Sed in eloquendo corrupta pleraque, atque in eo perniciosissima videbis, ut ait celeberrimus Rhetor et judex Quintilianus, quod abundant dulcibus vitiis. Neronis magister fuit, et fama studiorum, et ingenti divitiarum copia valde inclaruit. Deinde suspicione conjurationis in discipulum Imperatorem ab eo addactus ad mortem, incisis venis periit.

Celsus Aurelius.

Celsus Aurelius floruit sub Tiberio principe. Rhetoricam multo quam antea diligentius explicavit, de re militari accuratissime scripsit, nullumque pene disciplinae genus intactum reliquit. Sed ex ejus scriptis ad nostra tempora nihil pervenit praeter octo elegantissimos de re medica libros. Meruit propter Styli nitorem, et purgatis-

simam Latinitatem, ut *medicus Cicero*, et propter medicae artis peritiam, ut *Latinus Hippocrates* ab eruditis appellaretur.

Vellejus Paterculus.

Vellejus Paterculus, eques Romanus, variis muneribus functus denique a Tiberio Praetor factus, scripsit duobus libris historiam compendiariam de rebus Romanis usque ad excessum Liviae, conjugis Augusti, stylo plane Latino, et eleganti, sed adulationis pleno. Cum in Sejani amicitiam receptus esset, ab eodem Tiberio quinquagenarius occisus est.

Columella.

Columella patria Gaditanus, sub Claudio Imp. floruit, scripsitque *de re rustica* libros duodecim, quorum decimus de cultu hortorum heroico carmine constat: item librum de arboribus: omnia latine, nitide, et eleganter.

Juvenalis.

Juvenalis poeta Aquinas doctus, et eloquens in suis Satyris majestatem, et aculeos interdum declamatorios habet: minus Horatio politus, ac pressus, Persio uberior est. Floruit sub Trajano. Cave illum nisi expurgatum legas.

Martialis.

Martialis, patria Hispanus, sed Romanus civis, sub Trajano scripsit epigrammata multis salibus aspersa, saepe etiam obscoenitatibus, quas nimis aperte aliquando pingit. Ingeniosum, acu-

260

tum, acrem eum laudat Plinius secundus. Sane ejus latinitas longe purior est, et nitidior, quam ab homine Hispano expectari potuisse, aut aetatem suam dedecere videatur. Si obscoena deleas Epigrammata, mores, et ingenium perpolire potest.

Frontinus.

Julius Frontinus, Romanus Patricius, floruit sub Domitiano, Nerva, et Trajano. Scripsit de Aquaeductibus Commentarium satis purum, castigatum, et Latinum, qui et hodie extat, a *Joanne Poleno* summa cura illustratus. Alius ab hoc est *Julius Frontinus,* qui de agrorum qualitate, ac limitibus, item de coloniis scripsit, et iste tamen stylo decurrit satis expedito, et nitido; et si quaedam vocabula excipias artis propria, nihil fere ostendas, quod aures Latinae consuetudini assuetae valde fastidiant.

Plinii.

Plinius secundus philosophia naturalis scientia, et omni genere doctrinarum insignis vixit temporibus Vespasiani. Noctibus, et subcisivis horis scripsit 37 libros de rerum natura. Periit in Vesuvii montis incendio, dum ejus causa indagare cupiebat. *Plinius Junior* scripsit epistolas, et panegyricum in laudem Trajani Imperatoris.— Prioris est locutio Latina quidem, sed compositione asperior subinde, et obscurior; alterius planior, suavior, nitidior. Apparet tamen in utro-

que flexus quidam linguae ab aurea puritate paullatim declinantis.

Svetonius.

Svetonius Tranquillus, grammaticus et Rhetor Romanus, scriptor emendatissimus, et candidissimus, Plinii junioris amicus, scripsit stylo eleganti, et erudito 12. prîorum imperatorum vitas; librum de illustribus Grammaticis; alterum de claris Rhetoribus, quae omnia extant. Vitae quorumdam Poetarum, ut Horatii, Lucani, Juvenalis: libellus item de viris illustribus ejusdem Svetonii sint, nec ne, disputant Critici, aliis affirmantibus, aliis negantibus.

Tacitus.

Cornelius Tacitus, aequalis ac familiaris Plinii Junioris, sub Vespasiano, Domitiano, Nerva, Trajano, et Hadriano vixit. Historiam Principum conscripsit ab Augusto usque ad Hadrianum, quae ad nos haud integra pervenit. Scripsit et de claris Oratoribus; praeterea vitam Agricolae soceri sui; item de moribus, ac situ Germanorum: atque haec omnia stilo sublimi, presso, arguto, et sententioso.

Lucanus.

Lucanus Cordubensis vixit sub Nerone, cujus jussu periit aetatis suae anno 27, scripsit heroico carmine bellum civile Pompeji, et Caesaris, quod *Pharsalia* nominatur, et alia plura. Dictio ejus Latina, et pura est, et carmina magni

spiritus. Sed quod ad poeticam vim attinet, multi eum oratoribus magis, vel declamatoribus adnumerari dignum censent, quod historiam, non poema composuisse videatur; quorum est princeps Quintilianus cum alioquin ardentem, et concitatum, et sententiis clarissimum esse dicat. Martialis eum de se loquentem in epigrammate inducit:

> Sunt quidam, qui me dicunt non esse poetam;
> Sed, qui me vendit, bibliopola putat.

Petronius.

Petronius Arbiter, Civis Romanus praedives, Neronis familiaris, sectis venis vitam finivit. Scripsit satyricon, quo corruptissimos suorum temporum mores insectatur eleganti quidem, et polito dicendi genere, verum totum obscoenitatibus asperso, ut non sine pudoris detrimento legi possit. Oblivione, et execratione dignus.

Persius.

Persius Flaccus Volaterris in Etruria floruit sub Nerone. Satyras scripsit multo quidem sale, et acumine, non minori obscuritate, adeo ut affectasse eum quidam putent, et in eo dedisse operam, ut minus intelligeretur.

Silius.

Silius Italicus, Orator et poeta Consularis, quo anno occisus est Nero consulatum gessit: et obiit in secessu Campaniae ex inedia. Sub Domitiano de secundo bello Punico poema composuit,

latine quidem, sed parum poetice, et majori cura quam ingenio. Virgilium imitari studuit, sed longe abest.

Statius.

Papinius Statius, patria Neapolitanus, floruit Domitiani temporibus. In Sylvis suis eruditum se ostendit: in Thebaide sublimem; in Achilleide blandum se praebuit. Alicubi ardentior videtur, et inflatior.

Valerius.

Valerius Flaccus e Setia, Campaniae urbe, ortus, obiit Patavii sub Domitiano. Scripsit Argonauticon heroico carmine. Poeta nobilis, et uno fortasse Virgilio minor. Statio purior et melior est.

Claudianus.

Claudianus in Aegypto natus, floruit in fine saeculi Christi IV. scripsitque multa poetico plane spiritu, foecunditate, et amoenitate. Si pauca quaedam excipias, quae illam, qua vixit, aetatem redolent ad sequiora vertentem, dignus est, qui inter antiquiores Latini carminis Artifices enumeretur. Statuam aeneam in foro Trajani meruit ob laudem poeticae facultatis. Quibusdam Religioni Christianae addictus creditus est: sed negat inter alios D. Augustinus.

Quintilianus.

Quintilianus, rhetor Hispanus, Domitiani temporibus primus Romae publice Rhetoricam docuit summa ingenii, eloquentiae, ac doctrinae fama.

Scripsit de arte Rhetorica, et de causis corruptae eloquentiae, quae perierunt. Aetatem tulit, feretque in posterum praeclarissimum opus *De Institutione Oratoria* duodecim libris constans, copiosum, eruditum, planeque Latinum: durabit tamdiu, quamdiu litterae extabunt, et colentur. Martialis de illo scripsit:

Quintiliane vagae moderator summe juventae;
Gloria Romanae, Quintiliane, togae.

Florus.

L. Anneus Florus vixit initio secundi saeculi Christi. Historiae Romanae compendium ab urbe condita usque ad Augustum scripsit. Ejus stylus, ut historici, floridus est, amoenus, et ad poeticum valde accedens: Latinitas vero, paucis quibusdam exceptis, non omnino damnanda.

Curtius.

Q. Curtius Rufus, historicus insignis, res gestas conscripsit Alexandri Magni. Quo tempore floruerit non satis constat; neque tamen de ejus historiae elegantia et nitore dubitari potest.

Solinus.

Julius Solinus, patria Aegyptius, Romae vixit, scripsitque librum de variis rebus memorabilibus, qui Polyhistor inscribitur; in quo multa ab aliis scriptoribus excerpsit, praesertim a Plinio.. Extat etiam fragmentum carminis de variis maris finibus. Affectatus ejus stylus est, incomptaque locutio. Quo tempore vixerit, non satis constat.

Observatio.

Supra caeteros hujusce aetatis argenteae scriptores eminent *Celsus*, *Vellejus*, *Columella*, *Senecae*, *Plinii*, *Svetonius*, *Juvenalis*, *Quintilianus*, *Florus*, *Curtius*.

Scriptores aetatis aeneae.

Justinus.

Justinus historicus cujusdam Trogi Pompeii historici disertissimi libros de universo orbe, sed praesertim de Graecis in Epitomen redegit. Incerta aetas, in qua floruit. Sunt qui cum D. Justino martyre, sed perperam confundant. Stylus certe ejus aurea magis aetate dignus videtur, quam aenea.

Terentianus.

Terentianus Maurus, Grammaticus, natione Afer, scripsit poema vario carminum genere, de syllabis, litteris, pedibus, metris. Hunc suavissimum grammaticum appellat Muretus. Est scriptor aetatis incertae, sed tamen paulo post Martialis tempora floruisse videtur.

Apulejus.

L. Apulejus ex *Madaura* Africae urbe oriundus, Orator, jurisconsultus et Philosophus Platonicus floruit saeculo Christi II. circa tempora M. Antonini Philosophi, scripsitque multa, quo-

rum pleraque extant, multa etiam dicendi copia, acumine, et doctrinae, eruditionisque apparatu. Stylus tamen ejus innovandi lascivia nimium prurit, plerumque affectatus, et audax, nec imitatione dignus.

Gellius.

A. Gellius, Romanus, grammaticus, vixit saeculo Christi II., sub Imp. Hadriano, et Antonino Pio. Scripsit Noctium Atticarum libros viginti, h. e. commentationes hibernis noctibus lucubrari coeptas, dum Athenis studiorum causa versaretur, continuatas vero etiam postquam Romam rediit: opus varia electaque omnis antiquitatis eruditione tum grammatica, tum historica, tum philosophica refertum: in quo legendo et delectationis, et utilitatis uberrimus fructus capi potest. Non est tamen ejus latine loquendi ratio ubique imitanda. Est enim antiquae dictionis nimis studiosus; et a priscis, durisque scriptoribus, quos assidue habebat in manibus, ejus nimium Oratio colorem traxit: quasdam praeterea voces solus ipse usurpavit.

Censorinus.

Censorinus, Romanus, grammaticus quidam suae artis doctissimus, ut eum vocat Priscianus (l. I. pag. 544.), qui floruit circa a. Ch. 240. Scripsit libellum de *Die Natali,* selecta etiam eruditione, et doctrina illustri; stylo ut grammatici, et illis temporibus satis culto et nitido. Eum laudat

etiam Sidonius. (In ep. ad Polem. praefixa carmini 14.)

Cyprianus.

S. Cyprianus, Afer, Cartaginensis, et illius urbis Episcopus, illustris Christi martyr pro fide, et Ecclesia Dei, constantissime mortem obiit sub Valeriano, et Gallieno a. Ch. 258. De eo Lactantius (l. 5. 2. 1. sub fin.) *Unus igitur praecipuus, et clarus extitit Cyprianus, quoniam et magnam sibi gloriam ex Artis Oratoriae professione quaesierat, et admodum multa conscripsit in suo genere admiranda. Erat enim ingenio facili, copioso, suavi et (quae sermonis est maxima virtus) aperto: ut discernere nequeas, utrum ne ornatior eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit.* Haec Lactantius. — Ejus tamen Latinitas pro illis temporibus, et ut Afri hominis, et Tertulliani scriptis summopere delectati (adeo ut quoties eum posceret, soleret dicere *da magistrum*) satis nitida, et, ut dicam, casta est: longeque abit ab Tertulliani ferreo stylo, et novatione verborum. Hier. ep. 13. ad finem: *Cyprianus instar fontis purissimi dulcis incedit, ac placidus.*

Arnobius.

Arnobius, Natione Afer, religione Christianus, professione Rhetor, floruit sub fine saeculi Christi tertii, Diocletiano Imperatore. Siccae in Africa diu docuit, habuitque discipulum Lactantium.

Scripsit *adversus gentes* libros septem, eruditissimos et eloquentissimos, quibus Gentilium theologiam, et Religionem acriter insectatur, et salse admodum irridet. Ejus stylus assurgit ubique, ferturque, velut torrens magno impetu: sermo ut illis temporibus castigatus, verbis ex antiquo, probatoque usu acceptis refertus; subinde tamen novis occurrentibus, vel audacius deductis, ut vel vulgarem nasum habenti redolere Africam facile possint. Hier. ep. 13. ad finem ait: *Arnobius inaequalis, et nimius, et absque operis sui partitione confusus.*

Ausonius.

Ausonius magnus, grammaticus, et Rhetor sui semporis doctissimus, poeta etiam elegans, et ingeniosus patriam habuit Burdigalam, Aquitaniae urbem, a. Ch. 392. Extant ejus carmina varii generis, atque argumenti; quaedam etiam prosa Oratione scripta, praecipue Oratio ad Gratianum Imp. cujus fuit praeceptor, in qua gratias ei agit pro delato Consulatu; in quibus omnibus apparet studiosissimum fuisse, atque in omni Latinae, ac Graecae eruditionis genere apprime versatum, et in optimorum scriptorum lectione assiduum: licet subinde a puritate verborum, ac phrasium Latini sermonis discedat, et saeculum prodat, in quo scripsit, plerisque nihilominus suae aetatis, multis etiam superioris temporis scriptoribus sine dubio praeferendus.

Nemesianus.

Nemesianus Carthaginensis, poeta elegantissimus, scripsit halieutica, cynegetica, nautica et bucolica. Versibus plane nitidis, styloque puro, ac latino temporibus Cari, Numeriani, et Carini, et omnibus coronis illustratus emicuit. Extant ejus Cynegeticon carmen, quod Cari filiis inscripsit, et Eclogae quatuor, quas quidem non desunt, qui illi abjudicent, et Calpurnii esse contendant.

Calpurnius.

Calpurnius siculus, Latinus poeta non vulgaris, Nemesiano poetae aequalis, cui etiam Bucolicon suum inscripsit. Ejus carmina Latina admodum sunt, et eleganti facilitate composita; quorum propterea lectio non nisi utilis litterarum studiosis esse potest.

Aurelius.

Victor Aurelius, Afer creditus, sub Constantino Imp. floruit, hoc est medio saeculo Christi IV. ignobili loco, tenuique patre ortus, sed propter virtutem ad amplissimos honores promotus. Ei tribuuntur libelli de *origine gentis Romanae*, de *Viris illustribus*, et de *ritiis Caesarum* ab Augusto usque ad decimum Consulatum Constantii; in quibus apparet stylus, ut illa aetate, satis nitidus, et elegans, et ab Africanorum salebris omnino remotus.

Lactantius.

Lactantius quibusdam Afer patria, aliis Italus fuisse videtur. Ex Pagano Christianus factus Rhetoricam aliquamdiu docuit: deinde ad scribendum se contulit, pluraque emisit, quorum adhuc extant multa. Floruit circa initium saeculi Christi IV. Omnium sui temporis, cunctorumque Christianorum scriptorum eloquentissimus habitus est, et Arnobium, magistrum suum elegantia, suavitate, et puritate longe vicit, ita ut *Christianus Cicero* sit appellatus. De illo scripsit Hieronymus: ***Lactantius quidam fluvius eloquentiae Tullianae, utinam tam nostra affirmare potuisset, quam facile aliena destruxit!***

Prudentius.

Prudentius Hispanus, Christianorum poetarum elegantissimus, floruit post medium Christi saeculi IV. Multa pie scripsit, ac religiose, poetico spiritu, uberi vena, stylo delectabili; Latinitate tamen, ut sua tempora ferebant, minus castigata, et legibus carminis saepe violatis: sed non ob id legi indignus.

Ambrosius.

S. *Ambrosius* Archiepiscopus Mediolanensis excellentis ingenii vir, floruit saeculo Christi IV scripsitque quamplurima ad religionem illustrandam, moresque recte instituendos summa gravitate, et eloquentia singulari. Quamquam vero in iis multa sint, ut illis temporibus, barbariem sa-

pientia, inest tamen ubique nitor Latinus quidam, et majestas sermonis, sparsis identidem solidae, et priscae eruditionis luminibus, quae satis ostendunt doctissimum scriptorem in veterum Latinorum lectione diu, multumque fuisse versatum.

Observatio.

In hac aetate supra caeteros eminent *Justinus, Terentianus*, *Victor*, *Lactantius*, *Cyprianus*, *Claudianus*.

Scriptores aetatis ferreae.

Augustinus.

L. Augustinus scriptor fuit sanctissimus, et eloquentissimus, strenuus fidei propugnator, eruditione mirabilis.

Hieronymus.

S. Hieronymus, Ecclesiae doctor, qui non solum eximia scripturarum peritia fuit, sed etiam Latinitatis, humaniorumque litterarum studiosissimus; scripsitque multa, ut ea tempora ferebant (floruit enim saeculo Christi IV.), eleganter, erudite, et latine.

Sulpitius.

Sulpitius Severus, Niobrix Gallus, aequalis S. Hieronymi scripsit eleganti, et terso stylo ut illis temporibus, vitam B. Martini, et duos praeterea sacrae historiae libros. Hunc Jos. Sca,

2.71

lig. Ecclesiasticorum scriptorum purissimum merito appellat.

Macrobius.

Macrobius vir Consularis, et illustris vixit exeunte saeculo Christi IV. scripsitque commentaria in Ciceronem de somnio Scipionis, et Saturnaliorum libros septem, in quibus ab A. Gellio multa descripsit, adeo ut ejus fur, et simia dictus sit. Quamquam ultro ipse fatetur, se res ipsis verbis, quibus ab ipsis auctoribus enarratae sunt, explicasse.

Orosius.

Paulus Orosius, Presbiter Hispanus floruit in fine saeculi IV. et initio V. scripsitque hortatu S. Augustini historiam libris septem, quibus ab ipso mundi exordio ad sua usque tempora *miserias hominum paucis dumtaxat, iisdemque breviter delibatis* complexus est, stylo, ut ea tempora ferebant, non plane inculto, et a Latinae linguae nitore valde non abhorrente.

Sidonius.

Sidonius Apollinaris Gallus, patria Lugdunensis Avverniae Episcopus, floruit saeculo Christi V. scripsitque epistolarum libros aliquot, et carmina, quae omnia extant, stylo non illo quidem inerudito, sed duriusculo, praesertim in epistolis, in quibus multa invenies verba nullo modo imitanda. Ille tamen, ut ejus temporis ratio studiorum erat, maximas laudes consecutus est,

statua etiam Apollinari laurea, Romae in foro Trajani collocata ob Poesim ab Anthemio Augusto donatus.

Arator.

Arator poeta Christianus fuit, Romanus subdiaconus, qui acta Apostolorum exametro carmine conscripsit. Floruit saeculo Christi sexto, ususque est stylo carminis pro illa aetate non spernendo.

Boethius.

Severinus Boethius patria Romanus Christianus floruit initio saeculi VI. Ticinum in exilium pulsus est a Theodorico Gothorum Rege (ob suspicionem de mutando Reipublicae statu) in carcerem conjectus, atque post sex circiter menses ejusdem Regis jussu interfectus. Vir fuit in omnibus fere disciplinis eruditus, scripsitque multa, quorum pleraque adhuc extant: inter quae praecipue laudantur libri 5. de consolatione philosophiae, quos in carcere confecit, partim soluta, partim ligata oratione, tanta doctrina, et elegantia Latini sermonis, quantam vix aetas illa ad barbariem inclinata capere potuisse videtur.

Cassiodorus.

M. Aurelius Cassiodorus ingenio et eruditione clarus, vixit medio saeculo Christi VI. Ejus opera quae magna ex parte supersunt, ut doctrina abundant, ita corruptam eorum temporum latinitatem, quibus vixit, ubique referunt.

Priscianus.

Priscianus Grammaticus Caesariensis temporibus Justiniani Imp. floruit, scripsitque de arte Grammatica libros XVIII. et quaedam alia dictione incompta, et barbarie inquinata.

Honoratus.

Servius Honoratus, Grammaticus praestans, quem Macrobius in Saturnalibus suis loquentem inducit, litteratorum omnium longe maximum vocans, Virgilii opera perpetuis adnotationibus illustravit. Vixit sub Valentiniano Imperatore.

Paulus.

Paulus cognomento *Diaconus* Longobardus vixit saeculo Christi VIII. Scripsit historiam gentis suae, et alia multa, sed barbare omnia.

Observatio.

In hac aetate eminent *Hieronymus*, *Sulpicius*, *Sidonius*, *Boethius*.

Conclusio.

Hi, si non omnes, plerique certe sunt IV. aetatum Latinae linguae scriptores. Quidam incertae sunt aetatis: eorumque aliquis, si ratio styli habeatur, quocumque tandem tempore vixerit, in superioribus aetatibus cum dignitate stare potest: aliquis vero, tametsi ad ferream non pertineat aetatem, infra luteos detrudendus videtur; sunt etiam aliquot, quos libenter omisissem, nisi eos in optimis Lexicis admissos, receptosque vidissem. Praeterea mali etiam scriptores in adolescentium manus incidere possunt; quapropter juvat, ne eorundem vitia ignorent, qui Latinitate jacente floruerunt. Ex iis igitur, quos supra caeteros aetatis suae eminere diximus, et verborum sumenda copia est, et varietas figurarum, et componendi ratio, tum ad exemplum virtutum omnium mens dirigenda. Neque enim dubitari potest, quin artis pars magna contineatur imitatione. Nam ut invenire primum fuit, estque praecipuum; sic ea, quae bene inventa sunt, utile sequi. Omnis vitae ratio sic constat, ut quae probamus in aliis, facere ipsi velimus: omnisque disciplinae initia ad propositum sibi praescriptum formari videmus. Et hercle necesse est aut similes, aut dissimiles bonis simus. Similem raro natura praestat, frequenter imitatio.

Non illud vero statim legenti persuasum sit, omnia, quae magni auctores dixerunt, utique esse perfecta. Nam et labuntur aliquando, et oneri cedunt, et indulgent ingeniorum suorum voluptati, nec semper intendunt animum, et nonnunquam defatigantur; cum Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Horatio etiam Homerus ipse videatur. Summi enim sunt, homines tamen: acciditque iis, qui, quidquid apud illos reperiunt, dicendi legem putant, ut deteriora imitentur, (id enim est facilius) ac se abunde similes putent, si vitia magnorum consequantur. Sapiens igitur sit imitatio; et quae in singulis maxime excellunt, ea diligentissime persequamur.

Denique observandum est, ne sola contenti simus imitatione. An non turpe illud esset nos contentos esse id assequi, quod imitemur, cum nihil sola crescat imitatione? Quid futurum erat, si nemo plus effecisset eo, quem sequebatur? Nihil in poetis supra Livium Andronicum, nihil in historicis supra Pontificum annales haberemus: ratibus adhuc navigaremus; non esset pictura, nisi quae lineas modo extremas umbrae, quam corpora in sole fecissent, circumscriberet: uno verbo, omnes omnino artes, ac scientiae pene in ipsa pueritia tabescendo consenuissent. Quare nos ipsos contemplemur attente, excutiamus ingenium, scintillas excitemus, quae si latebunt accendantur continuo necesse est, ac detegantur. Si quis enim, quod magni ingenii est atque elati,

ex illis imitationis angustiis in apertum veluti campum prosiliet, quam nova, quam pulchra, afferet, quam admirabilia, ex omnibus tamen excellentium scriptorum formis expressa! Sed haec aggredienti tam magna, ac difficilia illud maximo documento fuerit praestantissima quaeque Romanorum scriptorum opera ante oculos ponere, et quantum, et unde profecerint, intueri; deinde quod in quoque optimum est, si possit, suum facere oportebit.

INDEX.

Pars Altera.

Appendix.

Scriptores aetatis aureae, eorumque patria, aetas, stylus.

Pag.

Scriptores aetatis aeneae.

Scriptores aetatis ferreae, ac luteae.